

DUNBAR (John)

EPIGRAMMATA (2227 vers)

Le texte proposé ici a pour origine celui de l'édition faite à Londres en 1616.

## EPIGRAMMATON IOANNIS DUNBARI MEGALO-BRITANNI CENTURIAE SEX

## EPIGRAMMATON CENTURIA I

## AD IACOBUM REGEM

E1\_01 v.1 Rex animis titulisque ingens, qui Pallada Marti  
 2 jungis, et imperio subdis utrumque tuo,  
 3 hos tibi (si placet) a devoti pectoris ignes  
 4 excipe, sinceri symbola servitii.  
 5 Magnus Alexander Samii teritismata cepit,  
 6 tu nec Alexandro sis mihi, magne, minor.

## AD ANNAM REGINAM

E1\_02 v.1 Tanta Annae est mentis, tanta est praestantia formae,  
 2 ut dubium ex caelo sitne, vel illa solo.  
 3 Quin Anna ex manna est, at manna est caelitus. Ergo  
 4 Annam quis nobis caelitus esse neget ?

## EPITAPHIUM HENRICI PRINCIPIS WALLIAE

E1\_03 v.1 Orbis amor, terrorque simul, terraeque Britannae  
 2 maxima spes, patriae delictumque suae,

3 Henricus Wallum princeps, decor additus astris,  
 4 inter semideos jam requiescit avos.  
 5 Nempe illo in terris cum regna haud digna videbat,  
 6 rerum olli aeternus dat sua regna Deus.

AD CAROLUM PRINCIPEM

E1\_04 v.1 Jam tandem nostro Pollux discessit ab orbe,  
 2 atque novo Henricus scilicet orbe nitet.  
 3 At pro fratre tuo jam orbatis luce Britannis,  
 4 qui lucem hanc referas, Carole, Castor eris.

AD FREDERICUM PRINCIPEM PALATINUM RHENI

E1\_05 v.1 Selectam elector sibi quando elegit Elisam  
 2 vere electoris nomine dignus erat.

AD ELISABETHAM EJUS SPONSAM

E1\_06 v.1 "El" Deus est, "ish" vir, requiem "beth" denique donat.  
 2 Hinc merito Elisabeth nobile nomen habet.  
 3 Scilicet illa Deo est motore et principe primo,  
 4 principis una sui lausque, quiesque viri.

AD LECTOREM

E1\_07 v.1 Haec hilare mea fronte legas epigrammata, lector.  
 2 Est Momi proprium triste supercilium.

AD LUSCUM POETAM

E1\_08 v.1 Uno capte oculo, vates mediocris, utrumque  
 2 excutias, et sic alter Homerus eris.

AD ZOILUM

E1\_09 v.1 Qui versus lacerare meos te, Zoile, dicit  
 2 fallitur. Hoc uris, Zoile, non laceras.

AD ARTIUM LIBERALIUM MAGISTROS

E1\_010 v.1 Didicisse septem liberales plenius,  
 2 artes magistri, vosmet ipsos dicitis.  
 3 Sic credo : ubi est tunc vestra liberalitas ?

DE HASTILUDIO IN FESTO REGALI FICTIO

E1\_011 v.1 Hastifrago in studio, magna spectante corona,

2 gressus alternos Mars glomerabat ovans.  
 3 Juno videt, dicitque : "Sed haec victoria nostra est",  
 4 et subito in Martem desuper atra ruit.  
 5 Ille fugit ridens et ait, "Me femina vicit.  
 6 Esto, sed non haec seria pugna fuit."

## PALINODIA

E1\_012 v.1 Juno minabatur madidis descendere pennis,  
 2 cum subito Martem vidit et extimuit.

## DE ORATORE ET POETA, AD QUENDAM

E1\_013 v.1 Orator (verum est) ait insanire poetam,  
 2 nam fuit hic stricto, liber at ille pede.  
 3 Horum quem fugias igitur mage ? Nonne poetam ?  
 4 Non : strictus poterit nil facere ille mali.  
 5 Imo oratorem fugias. Demente soluto  
 6 non pejor demens scilicet esse solet.

## IN MEDICUM EMPIRICUM

E1\_014 v.1 Empiricus nuper medicus de milite factus,  
 2 quod miles fecit, jam facit et medicus.

## AD IACOBUM REGEM

E1\_015 v.1 Fortunis, rex magne, meis prodesse voluntas  
 2 si tibi, tu poteris. Nemo nocere potest.

## EPITAPHIUM MARIAE SCOTORUM REGINAE

E1\_016 v.1 Gallorum thalamo, Scotorum Maria natu  
 2 regina, et regis filia, sponsa fuit.  
 3 Phoenicem Phoenix de me, tibi terra Britanna,  
 4 suscito, qui solus regnet in orbe suo.  
 5 Nec patriae hunc inter prognatum incendia mirum est.  
 6 E flammis Phoenix surgere nempe solet.

## AD CORDUM

E1\_017 v.1 Nomine cor unum, cor unum in pectore gestas.  
 2 Cum duo corda tibi, num bonus esse potes ?

## DE EPIGRAMMATE

E1\_018 v.1 Persimile est epigramma cibo : namque omnibus aequè  
 2 hic nec in ore sapit, hoc nec in aure sonat.

## AD LIVIDUM

E1\_019 v.1 Dicis quod mala sint quaedam mihi carmina. Sic est.  
2 Nam mala sunt ubi tu, Livide, nomen habes.

## AD NUMMI MAJESTATEM, QUAM AVARI COLUNT

E1\_020 v.1 Quae mihi res tecum, fallacis splendida nummi  
2 majestas ? Aris an dabo vota tuis ?  
3 Dispereas potius. Furerem qui sum mihi liber,  
4 servorum servo si tibi servus ego.

## DE PECUNIA

E1\_021 v.1 "Chremata" me quondam merito dixere Pelasgi,  
2 his quia saepe mei plurimus usus erat.  
3 Ergo cui clausa semper conservor in arca,  
4 immutet nomen, quod mihi fio nihil.

## IN HYPOCRITAM

E1\_022 v.1 Juras cum nebulonibus malignis  
2 et mens est tibi qualis est et illis,  
3 Quid vis me, rogo, te esse suspicari ?  
4 Sanctum credere te virum volebam,  
5 sed rumor sonat esse te scelestum.

## IN EPISCOPUM QUENDAM AVARUM

E1\_023 v.1 Ut tu es praelatus, cur non et, episcope, praefers  
2 sic alios ? Inquis, "Praefero divitias."

## AD MARITUM QUENDAM

E1\_024 v.1 Non mirum est si dura tibi, si curva sit uxor.  
2 Osse est ex curvo femina facta viro.

## AD PATRICIUM MALDUM IACOBO REGI A CUBICULIS INTERIORIBUS etc.

E1\_025 v.1 Stemmatis antiqui soboles, Malde inclyte, civis  
2 aut melior quam te subditus alter erit ?  
3 Regis amans, patriaeque tuae, et popularis amicus.  
4 Unus es hoc, quod vix tres vel et esse solent.

## AD PONTICUM

E1\_026 v.1 Vestem saepe novam quam te delectat habere !  
2 Non vestem, at vitam, Pontice, sume novam.

## AD LANCELOTUM ANDRAEAM EPISCOPUM ELIENSEM

E1\_027 v.1 Lancelotum veteres veterem jactate Britanni,  
 2 Arthuri veteris, bella, tropaea, decus,  
 3 nos nostri Arthuri nostrum jactamus in astra  
 4 Lancelotum : ob regem pugnatur uterque suum.  
 5 Laus nostri at major, nam hic in caelestibus, ille  
 6 victor in humanis ; fabula hic, ille fides.

## IN BELLARMINUM

E1\_028 v.1 Cur Bellarminum te, Bellarmine, vocemus ?  
 2 Nempe Malarminum rectius esse putem.

## DE EXEQUIIS NIVOSO DIE

E1\_029 v.1 Esse solent atri luctus. Haec candida lux est,  
 2 lux haec conveniens luctibus esse nequit.

## AD CACOZELUM

E1\_030 v.1 Semper in ore tibi Deus est, Cacozele, sed hoc est :  
 2 tantum est, cum juras, semper in ore Deus.

## AD MULIEREM

E1\_031 v.1 Nunc emere haud fastidum (est quadragesima) carnes.  
 2 Quin, mulier, mammas contegis ergo tuas ?

## DE PERSIO

E1\_032 v.1 Sibi negarat Persius satyra in sua  
 2 fibram fuisse corneam. Haud negaverat  
 3 esset sibi quin corneum tamen caput.

## AD MARTEM

E1\_033 v.1 Seu sis Graecus Ares, seu sis Mars, magne, Latinus,  
 2 littera terrores auferet una tuos.  
 3 Prima etenim Latio, tibi dempta penultima Graeco  
 4 si fuerit, sic ars tu mihi mitis eris.

## AD LODOVICUM STUARTUM LENOXIAE DUCEM etc.

E1\_034 v.1 Quam bene summa ducis summi tibi nomina dantur.  
 2 Nam tibi sunt summo munera digna duce.  
 3 Ensem sume, ensi cedat sic Hectoris ensis,

4 hastam, sic hastae Pelias hasta tuae.  
 5 Mars ducibus dedit esse aliis, sed Marte, sed arte  
 6 te natura dedit, dux generose, ducem.

AD ADAMUM REGIUM, ALIAS KING

E1\_035 v.1 Sallusti nobis Catilina est notus ab ore,  
 2 Gowrius at nobis notus ab ore tuo est.  
 3 Quisquis is est per quem notescit proditor, ille  
 4 dignus ut aeterno notus honore cluat.

AD IOHANNEM RAMISEUM, HADDINGTONIAE VICECOMITEM etc.

E1\_036 v.1 Fare age, quis Deus est regum qui temperat astrum,  
 2 vir generose, tibi ? Rex an et esse potes ?  
 3 Non. Sed in auxilium saltem sic nascere regum,  
 4 nempe bonus genius regis ut esse queas.

ALIUD AD EUNDEM

E1\_037 v.1 Ambo gigantei non fausto sidere fratres  
 2 dum Britonum Alcidem non sine fraude petunt,  
 3 Tu licet addis opem, minor ejus gloria non est.  
 4 Nam contra Alcides ne valet ipse duos.

PAULI APOSTOLI CONVERSIO

E1\_038 v.1 Insanus dum Saulus eras, inimicus, iniquus,  
 2 littera mutetur, Paulus amicus eris.

DE AULO CAUSIDICO, AD IPSUM

E1\_039 v.1 Qui nunc Aulus eras, una addita littera Paulum  
 2 te facit, et nomen mutat, inique, tuum.  
 3 Nomine sic facile es justus, sed grammata centum  
 4 naturam haud poterunt vertere versa tibi.  
 5 Quin alia et poterit superaddita littera Saulum  
 6 te facere, at talis, nil licet addis, eris.

IN LESBIAM

E1\_040 v.1 Non adamantis habet, nec enim redamavit amantem  
 2 Lesbia, sed duri cor adamantis habet.

IN BRISSONEM

E1\_041 v.1 Natus erat Brisson claro sub lumine solis,  
 2 sic natum obscuro se negat esse loco.

## IN AUNUM CHYMICUM

E1\_042 v.1 Non nego quin aurum potabile feceris, aurum  
 2 potasti totum scilicet, Aune, tuum.  
 3 Argentum sic qui faciant potabile, quidam  
 4 sunt modo. Sunt potant qui quoque quicquid habent.

## RESPONSIO AD MELVINI FLUMEN APUD SUPEROS etc.

E1\_043 v.1 Cymba quidem superis nulla est. Sunt flumina vero,  
 2 nam fluere hinc vivae commemorantur aquae.  
 3 Trajicere haec sed nemo potest, namque illa vadosa  
 4 Non sunt. Tunc ponte et pontifice hic opus est.  
 5 Ast apud infernum cum sit sua cymba Charonti,  
 6 neve opus hic ponte est, nec quoque pontifice.

## ALIUD

E1\_044 v.1 Cur non et superis etiam sua flumina dantur,  
 2 caelestes fluere hinc quando ferantur aquae ?  
 3 Flumina si fuerint, pontes tunc esse juvabit ;  
 4 si pontes, sancti sunt quoque pontifices.

## CAMERA STELLATA WESTMINSTERII

E1\_045 v.1 Scire velim quare astrorum domus ista vocetur.  
 2 Nonne quod Astraeae sint fora justitiae ?

## CAMERA ARDENS PARISIIS, AD GYMNICUM CAUSIDICUM

E1\_046 v.1 Est domus haec ardens nimium, et valde "aestuo" dicis.  
 2 Quin igitur causas, Gymnice, nudus agis ?

## PARADOXON, NON RARUM CARUM

E1\_047 v.1 Vir bonus est rarus, tamen est nil vilius illo,  
 2 virque frequens malus est, carius hoc nihil est.

## IN CAUSIDICUM QUENDAM CIVILEM

E1\_048 v.1 Civilem ubique te vocas et praedicas  
 2 causidicum, at omnes civitatis accolae  
 3 mire lacesis et necas injuriis.  
 4 Sic nulla prorsus est tibi civilitas.  
 5 Causidicus ergo potius incivilis es.

## AD CAROLUM PRINCIPEM

E1\_049 v.1 Exoptent alii pro carmine principis aurum.  
2 Auram non aurum principis ipse peto.

## CASAUBONI EPITAPHIUM

E1\_050 v.1 Casaubonum potuisse mori qui crederet, idem  
2 summa etiam credat numina posse mori.  
3 Numina posse mori nemo est qui credat : an ullus  
4 Casaubonum credat tunc potuisse mori ?  
5 Casaubonus vel numen erat, vel numine plenus,  
6 vel numen Phoebi nomen inane fuit.

## IN VANUM

E1\_051 v.1 Si nihil in Vano est quod non monstraverit extra,  
2 esse extra mentem monstrat et ipse suam.

## AD GAURUM

E1\_052 v.1 Quod prior ingrederis portam quid, Gaure, superbis ?  
2 Hoc facere et possit vel meus ecce canis.

## IN DAUCUM

E1\_053 v.1 Ut tu, Dauce, Deum, non te Deus, improbe, fecit,  
2 Te malus at daemon qui, puto, fecit erat.

## AD BENIAMIN IHONSON

E1\_054 v.1 Filius Hebrais "ben" est, "son" filius Anglis.  
2 Filii es ergo duo : quot tibi quaeso patres ?  
3 Si scio, dispeream. Scio quod sit magnus Apollo  
4 unus de patribus, magne poeta, tuis.

## DE AMORE, AD AVARUM

E1\_055 v.1 Omnia vincit amor. Concedimus, omnia vincit.  
2 Nummi si dicas, omnia vincit amor.

## AD IACOBUM REGEM

E1\_056 v.1 Mendicent alii quantum vix aurifer Hebrus,  
2 et quantum rutili vix capit unda Tagi.  
3 Ipse mei regis tantum mendico favorem,  
4 nam mihi si faveas, rex generose, sat est.

## EPITAPHIUM ELISABETHAE ANGLIAE REGINAE etc.

E1\_057 v.1 Elisabetha haec est illa, Anglae gloria gentis,  
 2 qua vel et ipsa fuit Penthesilea minor.  
 3 Hanc solum Aeacidae potuit transfigere spiclum,  
 4 non illi Aeacidum spicula mille nocent.  
 5 Quid potuit tibi dicat Iber, tibi dicat Ierne,  
 6 Gallia amicitiam, Flandria dicat opem.

## AD ANNAM REGINAM

E1\_058 v.1 Quandoquidem ex Anna est potiori in parte Britanna,  
 2 esse nec absque Anna terra Britanna queat,  
 3 non Brutus fuerat, fuit Anna, Britannia, nomen  
 4 quae tibi dat : tantum fabula Brutus erat.

## AD OBSCURUM POETAM

E1\_059 v.1 Obscuris obscure tuis requiesce libellis.  
 2 Nobilis ingenii nobile carmen erit.

## AD EFFRONTEM

E1\_060 v.1 Saepe fricare labor ne sit, sine fronte crearis,  
 2 fronte, cui ingenuus debet inesse pudor.

## MUNDANUS, UNDA SUM

E1\_061 v.1 Quis sua nominibus cerni mysteria nescit ?  
 2 Quisve neget vires, o anagramma, tuas ?  
 3 Ille ego Mundanus, nil sum nisi mobilis unda,  
 4 quam semper variis sors premit atra Notis.  
 5 Littera sed simplex duplicata in voce redundat,  
 6 Mundano duplici scilicet esse licet.

## AD MARIANUM

E1\_062 v.1 Si dixi, Mariane, te poetam,  
 2 iratas mihi tunc precor Camenas,  
 3 iratum mihi sic precor Lycaeum.  
 4 Juro per laticesque, perque laurus,  
 5 et vatum quoque juro per furores,  
 6 quod dixi tamen ipse non negabis,  
 7 hoc dixi, Mariane, te esse potum.

## AD JUVENEM QUENDAM

E1\_063 v.1 Ipsa equidem poteris sapientior esse Minerva.  
 2 Sed faciem prorsus non sapientis habes.

## AD NAVARCHUM OCREATUM

E1\_064 v.1 Unde ocreatus ades ? Quorsum haec calcaria ? Numquid  
2 vis, navarche, tuum pungere navigium ?

## DE MARIA SCOTORUM REGINA PROSOPOPOIA

E1\_065 v.1 Unam tres hostes me pervasere feroces :  
2 hinc atque hinc Mars, mors, urget utrimque metus.  
3 Major at una tribus : nam vici ut Maria Martem,  
4 sic mortem, et vici cum moritura metum.

## EPITAPHIUM MOYSIS

E1\_066 v.1 Spiritus in caelo est. Abarim tenet ossa sepulto,  
2 angelus hunc Domini qui sepelivit erat.

## DE PERSARUM REGIBUS

E1\_067 v.1 Quid mirum est cunctis reges non posse placere,  
2 quando nec cunctis vel placet ipse Deus ?  
3 Sed nec Cimmeriae tenebrae de sole queruntur.  
4 Nam licet haud videant, non minus ille nitet.  
5 Rex regni sol est. Soli saepe occupat ora  
6 ut nebula, et nebulo sic quoque regis habet.

## ALITER

E1\_068 v.1 Rex regni sol est, nebula huic saepe occupat ora.  
2 Aurem sic regum saepius et nebulo.

## SYMPOSIARCHAE EXTEMPORANEUM, AD ASTANTEM PICAM

E1\_069 v.1 Num tu, pica loquax, nos hic garrire docebis ?  
2 Namque ad garritus Bacchica cupa sat est.

## AD ZOILUM

E1\_070 v.1 Quam male me laudes ! Malim me, Zoile, laedas.  
2 Aut laede aut lauda, res erit una mihi.

## AD MARCUM

E1\_071 v.1 Saepe tibi dederam. Nil unquam, Marce, dedisti  
2 tu mihi. Si semper sic facis, ergo vale.

## AD GWALTERUM GUYNEUM

E1\_072 v.1 Seu regum historias, rerum seu tempora nostri,  
 2 sive anagramma facis, sive epigramma facis,  
 3 sic ipsum aequiparas Phoebum, ut Grynaeus Apollo  
 4 sit dubium, an dici Guyneus ille velit.

## AD MARITUM QUENDAM

E1\_073 v.1 Non facunda tibi, sed quae sit ut usque secunda,  
 2 sic fecunda tibi femina juncta cubet.

## AD CALLIONIRAM

E1\_074 v.1 Ferrea tu quamvis, et amans adamantinus esset :  
 2 ast Adamas ferrum Callionira trahet.

## AD MARCULUM

E1\_075 v.1 Marcule, nil volo des. Ut des mihi, Marcule, nolo.  
 2 Nam<que> nisi quis habet, quomodo quaeso dabit ?

## IVS NOSTRI SECVLI VIS. AD QUENDAM

E1\_076 v.1 Quod si Jus nostri cupias cognoscere saeculi,  
 2 in medio I (mirum !) ponito, Vis et erit.

## IN MEDICUM INDOCTUM

E1\_077 v.1 Aegrum dum non vis natura operante necare,  
 2 illum dogmaticus tu tamen arte necas.

## AD IACOBUM BAIARUM ET FONTIUM EPISCOPUM etc.

E1\_078 v.1 Quod si forte suis poterit locus addere laudes  
 2 laudibus, aut meritis nomina digna tuis,  
 3 Bajarum magne antistes, tibi gloria duplex  
 4 de te, deque tuo surgit in astra loco.  
 5 Nullus in orbe locus Bajis praelucet amoenis.  
 6 Dignior est nemo te meliore loco.

## TRIUMVIRI REIPUBLICAE : MYSTES, MEDICUS, NOMISTA

E1\_079 v.1 Mystae animi curant, medici mala corporis arcent,  
 2 succurris sortis tuque, nomista, malis.

## AD IOANNEM ARESKINUM MARRIAE COMITEM

E1\_080 v.1 Quae tibi nobilitas vera est, quae vivida virtus,  
 2 (quod rarum), et meritis consona fama suis.  
 3 Te, generose, fores natus nisi stirpe vetusta,  
 4 efficeret fieres stirpis origo novae.

## AD LAEAM

E1\_081 v.1 Os aliis praebes, aliis ad basia dextram,  
 2 dicis "Utrum mavis ?" Eligo, Laea, manum.

## AD MARINUM

E1\_082 v.1 Cur nil aestimo te, Marine ? Bubo es.  
 2 Cur nil aestimo te, Marine ? Nequam es.  
 3 Cur nil aestimo te, Marine ? Lurco es.  
 4 Quin te qui aestimat est, Marine, stultus.

## AD OSTENTATOREM

E1\_083 v.1 Una est <vero> saepe tuo sententia in ore, (vers lacuneux)  
 2 sive illam ex Plauto seu Cicerone citas.

## IN GLAUCUM

E1\_084 v.1 Glauce, nihil scribis. Nil scribis, Glauce, fatemur.  
 2 Scribat enim si quis scribere, Glauce, potest.

## IN PONTINIANUM

E1\_085 v.1 Pontinianus habet decimas, quis nescit ? Opimas.  
 2 Bulgam sed vacuum Pontinianus habet.

## IN BARCLEUM

E1\_086 v.1 Cum Scoti pars una tui est, pars altera Galli,  
 2 hujus quam partem, quam minus ejus habes ?  
 3 In Scotos crocitas, extollis in aethera Gallos.  
 4 Scoti haud cor. Galli, Barclee, crista tibi est.

## AD VERUM AMICUM

E1\_087 v.1 Ante focos fluctus foveant, et flumina flammae  
 2 quam tuus a nostro corde recedat amor

AD IACOBUM DOM. HAYUM, BARONEM A SALY,  
IACOBO REGI A SACRATIORI PURPURA etc.

E1\_088 v.1 Pierio celebrate choro, cui pectora Pallas,  
2 cui vultum Charites, verbaque Suada dedit.  
3 Quis regum flos nomen habet si forte requiris,  
4 Ajacis nomen flos hyacinthus habet.  
5 Ast hyacinthus habet venerandum nomen ab Hayo.  
6 Hay est ubi <...> regum nomina nata putem. (vers lacuneux)

ALIUD DE EODEM

E1\_089 v.1 Nomina cum regum celso inveniantur in Hayo,  
2 hinc populi regum discite notitiam.

AD DAUCUM, IN DOCTORES INDOCTOS

E1\_090 v.1 Est doctor quicumque docet, quicumque docetur.  
2 At non sic sequitur quod quoque doctus hic est.  
3 Hinc fit doctores cum tot cernantur ubique,  
4 pauci sint docti. Credito, Dauce, tibi.

DE SEIPSO

E1\_091 v.1 Nil ego doctoris titulos aut nomina curo.  
2 Sit doctor qui vult, sim modo doctus ego.

AD PHILOMUSUM

E1\_093 v.1 Cum bis sex denos numeres, Philomuse, Decembres  
2 es tu priscus homo. Quando peritus eris ?

IN LAEAM

E1\_094 v.1 Personae sunt, Laea, duae tibi : scilicet una est  
2 cerussata tibi, serica et una tibi.  
3 Deme hanc : es mulier vel imago, aut femina fucus.  
4 Tolle illam, larva es, Laea, vel hoc, nihil es.

IN HYPOCRITAM

E1\_095 v.1 Cum sint verba tibi simulent quae dulcia mella,  
2 cur tantum in factis, improbe, fellis habes ?

DE FOELICITATE

E1\_096 v.1 Virtutis ad fanum ire quondam nemini  
2 Romae ut licebat, nisi per aedem, ut nuncupant,  
3 laboris, ad felicitatem progredi

4 sic nemo quisquam quin eat per fel potest.

IN LECTOREM SACRORUM BIBLIORUM

E1\_097 v.1 Non pius est tantum qui biblia saepe relegit,  
2 sed pius in praxin quando redegit erit.

DE CALVINO ET MELVINO, AD LECTOREM

E1\_098 v.1 Calvinus melior Malvino sitne, vel ille  
2 illo sit melior, fors dubitare potes.  
3 Ambo dant vinum quo non praestantius ullum  
4 cordi est, hic mel dat, lac dat et ille suum.  
5 Ambo valent. Verum mel lacte est dulcius, atque  
6 si vinum his jungas optima mulsa dabunt.

IN LESBIAM

E1\_099 v.1 Nescio si simplex animi sis, Lesbia. Novi  
2 quod facie duplex, Lesbia, sit meretrix.

DE PAPIS

E1\_100 v.1 Si papae a poppis sunt dicti, carduus iste  
2 qui hos poppos dederit num benedictus erit ?

EPIGRAMMATON CENTURIA II

AD IACOBUM REGEM

E2\_01 v.1 Accipiant alii decimas, sed, magne monarcha,  
2 primitias Musae, te rogo, sume meae.

AD GEORGIUM VILLARS EQUITEM

IACOBO REGI A CUBICULIS INTERIORIBUS ET MAGISTRUM EQUITUM

E2\_02 v.1 Cui non rura placent, cui non et regia ruris  
2 villa etiam, cui non ars quoque docta placet ?  
3 Scilicet et villas habitant et rura Camenae,

4           urbibus in magnis ars veneranda viget.  
5       Si tunc villa placet, sique ars placet omnibus, ergo  
6           omnibus et Villars totus ubique placet.

ALIUD AD EUNDEM

E2\_03   v.1       Martis villa deos caeli comprehenderit olim.  
          2            Artis terrestrem sed modo villa deum.

EPITAPHIUM IOANNIS GRAEMI EQUITIS etc.

E2\_04   v.1       Qui Graemus gramenve meo quandoque Georg' o  
          2            in quo qua placide saepe quievit, eram.  
          3       Vere meo, et verno, quo tempore cuncta virescunt,  
          4            aresco autumnum, cur miser, ante meum ?  
          5       Hunc multa in villa ars tentata avertere casum  
          6            haud potuit. Sic (heu !) lilia prima cadunt.

DE GEORGII BUCHANANI HISTORIA SCOTIAE

E2\_05   v.1       Hac quod in historia sint ficta, et plurima falsa,  
          2            non mirum est. Summus scriba poeta fuit.

AD CORDUM

E2\_06   v.1       Indoctum me, Corde, vocas. Concedo, sed audi,  
          2            Socrate quid si sim doctior ? Hocne sat est ?  
          3       Ille unum hoc scivit, quod se nil scire sciebat.  
          4            Bina ego, nam novi te quoque scire nihil.

EPITAPHIUM INFANTIS

E2\_07   v.1       Infantum natum transfodit Parca, diesque  
          2            qui fuit introitus hic fuit interitus.

IN MAURUM GRAMMATICUM CONIUGALEM

E2\_08   v.1       Olim operam libris tantum dare, Maure, solebas.  
          2            Operam modo das liberis.

DE EPIGRAMMATE

E2\_09   v.1       Praecipue hoc epigramma valet quod distichon aiunt,  
          2            paucis sub verbis si modo multa velis.  
          3       Quod sequitur, sibi jure locum tetrastichon optat,  
          4            si fuse mentem vis aperire tuam.  
          5       Postremum vero est epigramma hexastichon. Illum  
          6            si numerum excedis, non epigramma facis.

## AD ANNAM REGINAM

E2\_10 v.1 Mensis ut a Maia est quem mos est dicere Maium,  
 2 cur non ex Anna sic quoque et annus erit ?  
 3 Quod si magnus honos imponere nomina mensi,  
 4 toti anno nomen ponere quantus honor ?

## AD ELISABETHAM EIUSDEM FILIAM

E2\_11 v.1 Elisabetha prior nisi te regina fuisset,  
 2 tu prima in terris Elisabetha fores.

## EPITHALAMIUM EIUSDEM ET FREDERICI PRINCIPIS PALATINI RHENI

E2\_012 v.1 Electo Elisabetha suo lectissima nupsit :  
 2 sanctus sancta tori vincla secundet Hymen.  
 3 Aeternum violis spargant connubia Nymphae,  
 4 dent Charites calathos, det Cytherea rosas.  
 5 Ambo felices, serios videantque nepotes.  
 6 Sic vigeant, valeant, semper amare velint.

## EPITAPHIUM MARIAE SCOTORUM REGINAE

E2\_013 v.1 Postquam tanta mei vidissem incendia regni,  
 2 ut vix Herculeae quae superanda manu,  
 3 Discessi, ne morte ipsa pejora viderem.  
 4 Nec vicit mentem mors vel<ut> ipsa meam.

## ALIUD EIUSDEM

E2\_014 v.1 Ut vici sortem, vici sic Maria mortem.  
 2 Sors mihi mente minor, mors mihi mente minor.

## IN DANICUM CAUSIDICUM

E2\_015 v.1 Cum plures facias quam dicis, Danice, lites,  
 2 non te causidicum sed voco causificum.

## AD CAROLUM FITZGEOFRIDUM

E2\_016 v.1 Fitzgeofride, sacri poter placidissime rivi,  
 2 lactea cui liquido pectore vena fluit,  
 3 si tua Musa mori poterit, si fama perire,  
 4 esse potest lepidis urna parata jocis.

## IN SACRIFICULOS, AD CORBULUM

E2\_017 v.1 Cur non pontifices ut sunt qui, Corbule, pontes,

2           qui faciunt carnes, sunt quoque carnifices ?

IN PONTIFICES EIUSDEM FARINAE

E2\_018 v.1       Portentum facitis siquando ex pane sacrato,  
2           non vos pontifices, sed voco panifices.

IN MATHONEM

E2\_019 v.1       Quid de te, Matho, suspicentur omnes,  
2           et qua parte velint modestiorem,  
3           certis indiciis satis probarunt,  
4           tutorem tibi qui dedere, quo nil  
5           aut prudentius est modestiusve.

IN EUNDEM

E2\_020 v.1       Me frustra in nugis annos absumere dicis.  
2           Praestat at in nugis quam, Matho, nequitia.

AD NAEVOLUM

E2\_021 v.1       Cur quid agam semper, quid agam cur, Naevole, quaeris ?  
2           Estne aliud quod agas quaerere quam quid agam ?

AD PATREM SUUM GAVINUM

E2\_022 v.1       Care pater, venerande senex, cui suaviter aevi  
2           octogena, Deo jam duce, transit hiems,  
3           hoc breve sub nostro vivat tibi nomine carmen,  
4           ut signum affectus officiique seges.

AD NAULICUM

E2\_023 v.1       Dum numeras asinos numerando, Naulice, peccas.  
2           Ipsam debebas te numerasse simul.

IN LUCRETIAM

E2\_024 v.1       Quid te, saeva, manum proprio foedare cruore  
2           juvit, et immerito sic voluisse mori ?  
3           "Non aliter potuit reparari injuria famae,  
4           neve pudicitiae damna inhonesta tuae ?"  
5           Hocne ais ? Ergo tibi fueras male conscia culpae.  
6           Si rea non fueras, cur, scelerata, ruis ?

## EXTEMPORANEUM DE VIATORE

E2\_025 v.1 Magnus homo est, sed parvus homo si munera mentis  
2 respicias. Hominis nil nisi corpus habet.

## LIPSIUS MORIENS

E2\_026 v.1 Lipsius ut moritur, secum et dum corde volutat  
2 quae signo Mariae commoda dona daret,  
3 dat crassam pro thure togam. Miracula vidit  
4 jam frigere sitae scilicet ille deae.

## AD IACOBUM REGEM

E2\_027 v.1 Non satis est, rex celse, tibi quod cedat Apollo.  
2 Nam cedit sophiae Pallas et ipsa tuae.

AD GULIELMUM HERBERTUM PENBROCHAE  
COMITEM ET AULAE REGIAE CAMERARIUM etc.

E2\_028 v.1 Magne heros, res mira, meis si intexere chartis  
2 te vellem, et laudes non memorare tuas !  
3 Sed neque quae tibi mens, moresque in pectore supra  
4 et genus, et sortem tam breviter referam.  
5 Majus opus quaerunt : hoc te jam claudere carmen,  
6 annulus ut parvus magnum adamanta sat est.

## AD LECTOREM

E2\_029 v.1 Perlegis, ast aegre. Metra aegrius at mala laudas.  
2 Ne laudes. Laeta me, rogo, fronte legas.

## IN COTTAM

E2\_030 v.1 Cotta, velis bibere, at non est tibi, Cotta, crumena.  
2 Immo nec nummos, quod bene pejus, habes.

## IN CACOEZELUM

E2\_031 v.1 Doctrinam in docto quaeris, Cacozele, ministro.  
2 Desine doctrinam quaerere. Quaere Deum.

## DE ACADEMIA OXONIENSI

E2\_032 v.1 Nec sua prima suis Academia, neve Lycaeam  
2 sit Peripatetis gloria prima suis,  
3 Secta nec ipsa suam miretur Stoica stoam,  
4 Tullius aut propriam jactet in astra domum.  
5 Oxoniae cedant prisca et nova cuncta Camenis.

6 Pro cunctis tantae laus eat una scholae.

QUALEM SIBI VELIT AMICUM

E2\_033 v.1 Hunc volo qui facilis, qui sit mihi fidus, et omni  
2 fastu qui careat, qui sit ut alter ego.  
3 At qui me laudat coram, et post terga laccessit,  
4 possideant hujus perfida corda canes.

DE FOEMINA QUADAM

E2\_034 v.1 "Femina," dicebam, "curru portatur in isto."  
2 respexi propius, comperi et esse fimum.

AD DIGNOS EQUITES

E2\_035 v.1 Qui manibus Martem, Musas et mentibus aequant,  
2 ex aequo hos equites dicere nemo negat.

AD EQUITUM NOMINE INDIGNOS

E2\_036 v.1 Vos equites, qui nec virtus Mavortia, neve  
2 gloria Musarum nomina tanta dedit,  
3 sed queis divitiae titulos auxere superbos,  
4 esse ego vos equites aestimo, vulgus equos.

PARADOXON : VIRTUS SOLA NOBILITAT

E2\_037 v.1 Quicumque vis divitiae ut antiquae genus  
2 illustre reddant, falleris. Vere facit  
3 Antiqua virtus sola et una nobiles.

AD CEDRUM, DE CREDITORE SUO

E2\_038 v.1 Accipe cum tibi dat, brevis est occasio lucri.  
2 Captus si fuerit, nihil tibi, Cedre, dabit.

DE MORTE

E2\_039 v.1 Si sopor est mortis soror, ut finxere poetae,  
2 cur tumulus thalami non quoque frater erit ?

AD THOMAM BILSONUM EPISCOPUM VINTONIENSEM

E2\_040 v.1 Castalidum commune decus, dignissime praesul  
2 Bilsoni, aeternis commemorande modis,  
3 quam valide adversus Christi imperterritus hostes

4           bella geras libri sunt monumenta tui.  
5       His, Hydrae fidei quotquot capita alta resurgunt,  
6           tu novus Alcides tot resecare soles.

## IN CATUM

E2\_041 v.1       Omnes quos habuit Catus decepit amicos.  
          2           Decipier qui vult, hujus amicus erit.

## AD MOMUM QUENDAM

E2\_042 v.1       Innocuos permittite jocos. Cur ludere nobis  
          2           non liceat, liceat laedere quando tibi ?

## IN MENDACEM

E2\_043 v.1       Non opus est quaeras quare tibi credere nolim.  
          2           Credere vix ipsi tu potes ipse tibi.

## IN MERCATOREM

E2\_044 v.1       Nulli se dicit mercator vendere malle  
          2           quam mihi, non quamvis rex vel et ipse foret.  
          3       Dicit Mercator, sed quicquid dicit ementi  
          4           credimus ut Ditem credimus esse Deum.

## IN CONIUGES

E2\_045 v.1       Cor animumque suum tua te vocat uxor, et ipsa  
          2           est tibi cor animi. Vivitis ergo pares.

## IN CURIONEM QUENDAM

E2\_046 v.1       Curio conatur Pimplaeum ascendere montem,  
          2           praecipitem Aoniae dejiciuntque deae.  
          3       Ille autem : "At montem nequeo si scandere vestrum,  
          4           me Veneris montem scandere posse putem."

## IN COTTAM

E2\_047 v.1       Taxaret ne Cotta malos, taxaverat omnes.  
          2           Cui bonus est nemo, quis malus esse potest ?

## IN AULUM

E2\_048 v.1       Aule, mihi debes assem. "Nil debeo," juras.  
          2           Ne jures : assem perdere malo meum.

## IN GAULUM

E2\_049 v.1 Non est, Gaure, satis quod es superbus.  
2 Et dici cupis, et cupis videri.

## AD CAROLUM PRINCIPEM

E2\_050 v.1 Spes patris patriaeque tuae, celsissime princeps  
2 Carole, Castalii lux rediviva chori,  
3 cresce novum semper populo solamen, et alter  
4 Carolus ut magnus. Sic Charilaus eris.

AD THOMAM EGERTONUM,  
DOM. AB ELLESMERE, MAGNUM ANGLIAE CANCELLARIUM etc.

E2\_051 v.1 Aeternis famae titulis, et fascibus ingens,  
2 digne inter summos ut numerere deos.  
3 Quin se jam Thamesis Cephissi nomine dicat,  
4 mireturque suas nobilis amnis aquas.  
5 Antrum si non est, tamen est hic aula Themistis.  
6 Si non ipsa Themis, os tamen ejus ades.

## DE EODEM

E2\_052 v.1 Sic Thomas Themidis callet doctissimus artes,  
2 ut nunc sit Thomas quae fuit ante Themis.

AD GULIELMUM CARUM,  
IACOBO REGI A CUBICULO INTERIORI etc.

E2\_053 v.1 Seu saltu certes, curvae aut testudinis ictu,  
2 sive pila, aut motu liberiore pedum,  
3 ecquis, Care, tibi similis ? Si Pythia in usu,  
4 vix ipse ingenio certet Apollo tuo.

## AD LECTOREM NARCISSUM

E2\_054 v.1 Lectori concedo, places, Narcisse, sed hoc est,  
2 tu quando libri lector es ipse tui.

## IN CERDUM MERCATOREM

E2\_055 v.1 Cerde, tuum in nostris nomen cupis esse libellis.  
2 Nolo meum libris nomen inesse tuis.

## AD AMATOREM

E2\_056 v.1 Quisquis amas, te scire velim quod femina tantum

2 umbra, et imago viri sit nisi sol sit amor.  
 3 Umbra recedentem sequitur, fugit illa sequentem.  
 4 Ergo sequi ut possit te tibi cara, fuge.

## ALIUD AD EUNDEM

E2\_057 v.1 Sol amor est, mulierque viri levis umbra. Sequetur  
 2 umbram quis, demens sit nisi forte, suam ?

## IN AVARUM

E2\_058 v.1 Carmine dii superi, flectuntur carmine manes.  
 2 Carmine sed nullo flexa crumena tibi est.

## FILIUS NATU MAXIMUS

E2\_059 v.1 Es dives non Marte tuo, sed munere patris.  
 2 Nam genuit fratres te pater ante tuos.

AD MATHAEUM SUTLIVIUM,  
DOCTOREM UTRIUSQUE JURIS ET EXONIAE DECANUM ETC.

E2\_060 v.1 Byzantium jactet suum Chrysostomum,  
 2 sonet Beryllum Bostria,  
 3 plaudatque Phoenici suo uni Cappadox,  
 4 et Creta gaudeat Tito,  
 5 Polycarpum amet Smyrna. At suum Sutlivium  
 6 numquam silebit Anglia.

## AD EUNDEM

E2\_061 v.1 Cum tibi cor purum, gravitas venerabilis, et vox  
 2 mellea, mens hilaris, doctaque grata manus,  
 3 qui cupit officium perfecti ediscere mystae,  
 4 te sibi proponat. Quod cupit illud habet.

## IN TARATALLAM

E2\_062 v.1 Cur tam promissos nutrit Taratella capillos ?  
 2 Nonne est ut longas contegat auriculas ?

## AD CORDULUM

E2\_063 v.1 Qui dignos laudare viros te, Cordole, credit  
 2 decipitur. Laudas namque tui similes.

## AD IOANNEM GRAEMUM MONTROSIAE COMITEM etc.

E2\_064 v.1 Quod si, Graeme, foret sola de stirpe venusta  
 2 laus, essent pauci sic tibi laude pares.  
 3 Nam Britones inter Graemis antiquior una  
 4 gens nulla, historicis si modo danda fides.  
 5 Quin tua te virtus, et non tua sola vetustas  
 6 commendat. Virtus te facit una virum.

## IN SCAURUM

E2\_065 v.1 Irasci nostris non debes, Scaure, Camenis.  
 2 Non te sed fastum, Scaure, rependo tuum.

## IN HOSPITEM

E2\_066 v.1 Cum maria et terras omnes lustraveris, hospes,  
 2 restat ut aut Orcum jam videasve polum.

## AD D. CHAPLIERUM THEOLOGUM RUPELLANUM

E2\_067 v.1 Maxima cum magni sit rhetoris actio virtus,  
 2 rhetora te magnum nemo negare potest.  
 3 Cum sit at in verbis divini et gratia mellis,  
 4 majorem magno te, Chapliere, puto.

## AD MARITUM QUENDAM CLAUDUM

E2\_068 v.1 Uxor caeca tua est, et tu pede claudus utroque.  
 2 Illi des oculos, et dabit illa pedes.

## IN CORDUM

E2\_069 v.1 Cordolus es potius quam Cordus, Corde, vocandus.  
 2 Namque parum vero, Cordole, cordis habes.

## ALIUD IN EUNDEM

E2\_070 v.1 Esse ducem in Phoebi castris te, Cordole, jactas,  
 2 et tamen, ut video, valde pusillus homo es.  
 3 Nempe duces metuenda viri per castra sequuntur.  
 4 Tu sequeris pueros per loca tuta tuos.

## IN MARCULUM

E2\_071 v.1 Marcule, cur mulam pungis ? Sat nata videtur  
 2 officiosa, suum cum vehit ipsa patrem.

## QUOD MORIENDUM

E2\_072 v.1 Scilicet ut primum putrescere semina cernis,  
 2 quae jacta agricolae sedulioire manu,  
 3 mox vitam capere, et prodire in luminis oras,  
 4 et sese variis multiplicare modis,  
 5 sic etiam Christi quisquis sit semen in agro,  
 6 debet, ut uberius surgat, et ille mori.

## IN CANDIDUM CAUSIDICUM COMMUNEM

E2\_073 v.1 Causidicus tantum communis diceris. Ergo  
 2 es non civilis, Candide, causidicus.

## IN MILONEM

E2\_074 v.1 Inter lascivas latitavit Milo puellas,  
 2 et bene qui latuit. Hic bene vixit, ait.

## AD D. BALFOURUM

## PHILOSOPHUM ET ACADEMIAE GUYANAE PROTOGYMNASTES BURDIGALAE

E2\_075 v.1 Illa tua haud citius, Balfoure, Problemata vidi,  
 2 illa ego quam dixi, "scripsit Aristoteles."  
 3 Judicet hic aliquis cum legi, cumque relegi,  
 4 quumque intellexi, quod mihi iudicium :  
 5 "Major Aristotele est qui scripserat illa, vel impar  
 6 si fuerit, certe non fuit ille minor."

## AD MILVIUM

E2\_076 v.1 Quicquid ego facio, nihil est, ais, inuide Milvi.  
 2 Ergo nihil facio cum tibi frango caput.

## IN GLAUCAM

E2\_077 v.1 Cum Glauca sit picta, ac proinde imago sit,  
 2 imago nec loquatur, illa si prudens  
 3 sileat. Nam imago si loquatur est monstrum.

## AD ALEATOREM

E2\_078 v.1 Si memini, fuerant tantum tibi quattuor asses.  
 2 Perdidit una duos alea, et una duos.  
 3 Ludere jam toto poteris securior aevo.  
 4 Nam plus ut perdas alea nulla potest.

## AD PONTILIANUM

E2\_079 v.1 Unde tibi ingenium debes tu quaerere, quaeris ?  
2 Non potes ex cerebro, Pontiliane, tuo.

## AD FUTURUM POETAM

E2\_080 v.1 Numquam tu poteris, si abstemius, esse poeta.  
2 Sed bene si potes, esse poeta potes.

## DE DIOGENE ET DIONYSIO

E2\_081 v.1 Hoc est Diogeni similis Dionysius uno,  
2 mobile nimirum est dolium utrique domus.

## IN GULIELMUM COTTONEM, EXONIAE EPISCOPUM

E2\_082 v.1 Quae gravitas et quae constantia praesule digna,  
2 quae rerum multa est cognitioque tibi,  
3 te non Cottonum tantum, sed et esse Catonem  
4 te faciunt saeculi, vir venerande, tui.

## IN AULUM

E2\_083 v.1 Devorat et comedit multum, sed lumine cassus.  
2 Plus ergo, ut res est, quam videt Aulus edit.

## IN GLAUCAM

E2\_084 v.1 Illa tua haud facies est qua tu, Glauca, superbis :  
2 pictoris facies scilicet illa tui est.

## AD BESCHEBAM REGINOLDAM

E2\_085 v.1 Carminibus, Beschaba, tuis vix certet Apollo.  
2 Ipsa tamen si vis (tu) superare potes.

## IN INVIDIOSUM, QUI JUVENES IMBERBES INDOCTOS PUTAT

E2\_086 v.1 Cur juvenes queis barba datur vix longior ipsis  
2 dentibus indoctos, invidiose, vocas ?  
3 Quin tibi barbata est in crine scientia et extra.  
4 Scire suum juvenes in cute et intus habent.

## IN CAUSIDCUM QUENDAM LOQUACULUM

E2\_087 v.1 Quid mihi dira fori memoras convicia, lites,  
2 jurgiaque, et rixas, et sine mente minas ?

3 Quid tumidas buccas, quid picta fulmina linguae ?  
 4 Illincne ut mirer numina causidici ?  
 5 Hac si causidicus nomen ratione meretur,  
 6 cur etiam non se garrula jactet anus ?

## AD ZOILUM

E2\_088 v.1 Quanto corde meos tu pendis, Zoile, versus,  
 2 tanto pendentem de cruce te videam.

## DE ACETO

E2\_089 v.1 Dat gustus reficitque animos languentis acetum,  
 2 nec melior subitis est medicina malis.  
 3 At vos, Naiades, fontes jam claudite. Posthac  
 4 praeter acetosum nil mea Musa bibet.

## AD IACOBUM REGEM

E2\_090 v.1 Heroum sanguis, sex centum splendor avorum,  
 2 Alcide et titulis major habende tuis.  
 3 Scilicet huic quondam quos clava adjunxit honores,  
 4 hos auxit calamus, rex Iacobe, tibi.

## AD ELISABETHAM EJUS FILIAM

E2\_091 v.1 O ter felicis ter felix filia regis,  
 2 et patris et patriae filia sola tuae !  
 3 Ecquae femineo est generi perfectio, quae non  
 4 in te nil supra quo moveatur habet ?  
 5 Forma manum artificis superat, sapientia formam,  
 6 hanc virtus. Nil hanc quod superet superest.

## AD GLORIOSUM DIVITEM

E2\_092 v.1 Felicitate qui nimis turges tua,  
 2 tibi caveto, si sapis, sis et memor  
 3 quod primus ad felicitatem omnem gradus  
 4 sit fel, nec absque felle sit felicitas.

## DE ORBE TERRARUM

E2\_093 v.1 Mirandum non est quod recti nil sit in orbe,  
 2 orbis in obliquum quando retortus eat.

## IN IGNARUM QUENDAM SACERDOTEM

E2\_094 v.1 Omnes cum capias decimas, ignare sacerdos,  
 2 cur non et decimas accipis ingenii.

## AD DAUCUM

E2\_095 v.1 Nil tu, Dauce, doces, tamen et vis doctor haberi.  
2 Quicquid vis esto, dummodo nil doceas.

## AD THOMAM ARESKINUM

NOBILISSIMAE ORDINIS PERISCELIDIS EQUITEM ET FENTONIAE VICECOMITEM etc.

E2\_096 v.1 Cum Perthi Antaeo dum forte Britannicus heros  
2 luctatur, fidam fers properanter opem,  
3 non quod non solus fatale evincere monstrum  
4 posset, at haud sacras ne violare manus.  
5 Haec sed summa tibi laus est : Jove natus et alter  
6 Pirithoum pugnae te jubet esse suae.

## AD EUNDEM, DE GENTE ARESKINA

E2\_097 v.1 Nomen Areskinae est unde hoc tam nobile genti ?  
2 An quod Ares olli Martia corda 'kinei' ?

## RESPONSIO AD QUENDAM

E2\_098 v.1 Si quoniam omne bonum est transcendens omnia, recte  
2 colligis hinc nullus quod sit in orbe bonus.  
3 Quia quoque in omne malum cum sic transcendat, et inde  
4 concludam nullus quod sit in orbe malus.

## AD AMICUM COMPOTOREM

E2\_099 v.1 Quando salutifera toties mihi voce propinas,  
2 hinc fiat caveas, ne tibi nulla salus.

## IN GLAUCAM

E2\_100 v.1 Est tunica et collare viri, et tibi, Glauca, galerus.  
2 Sume tibi braccas, vir, nisi fallor, eris.

## EPIGRAMMATON CENTURIA III

## AD IACOBUM REGEM

E3\_01 v.1 Fortius orabam nuper, rex magne, Camenas

2           ut te digna darent carmina pauca mihi.  
 3       At se posse negant. Ipsum tunc invoco Phoebum  
 4           ut daret, et Phoebus nec minus ipse negat.  
 5       Cur negat ? An nescit ? Certe. Quis noverit ergo ?  
 6           Te dare tu solus carmina digna potes.

ELISABETHAE REGINAE ANGLIAE etc. EPITAPHIUM

E3\_02   v.1       Perpetua Elisabetha fui, et rarissima virgo.  
           2           Sic etiam et virgo Penthesilea fuit.  
           3       Illa ego sed major. Solis nam praefuit illa  
           4           virgo virginibus, quin ego virgo viris.

AD URBIUM MAGISTRATUS

E3\_03   v.1       Qui vultus vestras defendere fortiter urbes,  
           2           sint vobis mores moenia, valla, viri.

PARADOXON : QUOD GRAECIA NON SIT MENDAX

E3\_04   v.1       Non verum in vino est, aut non est Graecia mendax,  
           2           aut pergraecari tu bene, Graece, nequis.

AD CAROLUM PRINCIPEM

E3\_05   v.1       Tanta tibi est pietas, probitasque et gratia vocis,  
           2           ut mirer fieri te potuisse virum.

AD GEORGIUM ABBOTIUM CANTUARIAE ARCHEPISCOPUM, ANGLIAE PRIMATEM etc.

E3\_06   v.1       Supreme Anglorum praesul, cui praeside Christo  
           2           cinxit honorandas gratia celsa comas,  
           3       quo te principio laudem ? Quo fine tacebo ?  
           4           Quid prius aut quid post, quid mediumque canam ?  
           5       Nescio, sed si vis unum hoc me dicere, nullus  
           6           te dignum tanto non ait esse loco.

ALIUD AD EUNDEM

E3\_07   v.1       Quae vel in minimo jam virtus rara ministro,  
           2           nimirum ad populum contio crebra suum,  
           3       Illa frequens inter tibi, publica commoda regni est.  
           4           Consulis hinc regi, consulis inde gregi.

ERROR GRAMMATICORUM

E3\_08   v.1       Est unus tantum nisi sol, nisi mundus et unus.  
           2           Soles et mundos, grammaticaster, ais ?

## AD MAURUM

E3\_09 v.1 Non ego te laudo, non possum dicere quare.  
2 Non ego te laudo, dicere, Maure, queo.

## AD FUSCULUM

E3\_010 v.1 Felicem fieri credis me, Fuscule, cena,  
2 felicem cena, Fuscule, deinde tua.  
3 Quin fame at ille mori poterit, misereque perire,  
4 quem tua felicem, Fuscule, cena facit.

## AD IACOBUM REGEM

E3\_011 v.1 Laus tua ad occasum, tua laus penetravit ad ortum,  
2 extremis Boreis cognita, nota Notis.  
3 Nec mirum est toto quod spargitur orbe, teneri  
4 non potis est uno gloria tanta loco.

## IN SUPERBUM QUENDAM

E3\_012 v.1 Quod numquam socios tuos salutes  
2 humane facis : haud facis superbe.

AD GWALTERUM ASHTON EQUITEM,  
IACOBO REGI A PRIVATIS CUBICULIS etc.

E3\_013 v.1 Si facie ignotus, non es tamen inclyte factis.  
2 Sat faciunt notum te tua facta mihi.  
3 Dignum laude virum nequeunt non nosse Camenae,  
4 non possum laudes non quoque nosse tuas.  
5 Es pius et prudens, doctus, et largus amicis.  
6 Unde sciam, petis, hoc ? Undique rumor ait.

## IN NAEVOLUM

E3\_014 v.1 Haeredem tantum scripsit me Naevolus, illi  
2 quod medicus dixit non moriturus erat.

## AD AULUM

E3\_015 v.1 Aule, tibi mensa est dapibus bene semper operta.  
2 Malim ego sed doctis ut sit aperta viris.

## AD DAVIDUM FRATREM

E3\_016 v.1 Maxime natorum patris, neque maxime tantum,  
2 sed merito primum qui mereare locum.

3 Quod natura tibi dederat, tibi sume licebit.  
 4 Quod dederat virtus et tibi, sume licet.  
 5 Seu virtus seu te primum natura locarit,  
 6 non minor at nobis inde redundat honos.

## IN VANUM

E3\_017 v.1 Vane, vides tollam si te veniente galerum,  
 2 si libem dextrae promptus et oscla meae.  
 3 Exspectas donec tanta te voce salutem,  
 4 audiat ut nostros turba remota sonos.  
 5 Proh pudor ! Elatum si sic te digner asellum,  
 6 quid facerem mulo praetereunte tuo ?

## ALIUD AD EUNDEM

E3\_018 v.1 Vane, cupis semper muro ut sis proximus. Esto.  
 2 Sic etiam merdis proximus esse potes.

## AD NAEVOLUM

E3\_019 v.1 Naevole, sic clausum est pleno tibi pectus honesto,  
 2 illius ut quicquam nemo videre queat.

## AD IOANNEM DAVISIUM A HEIREFORDE

E3\_020 v.1 Si suus haud Anglis Daniel Maro desit, et Anglis  
 2 nec Martialis deest suus Davisius.  
 3 Quin dubiam certat Danieli linguere laurum  
 4 Sylvester, at, Davisi, habes nullum aemulum.

## IN PHILARGUM

E3\_021 v.1 Cur nummos tantum fertur coluisse Philargus ?  
 2 Hic numen nummum credidit esse suum.

## AD RHETOREM

E3\_022 v.1 Exiguo si forte pedi sit calceus ingens,  
 2 nemo sutorem non ferat esse rudem.  
 3 Tu qui res minimas lato tegis undique panno,  
 4 dic mihi tum qualis rhetor habendus eris.

## IN NIMIUM ANTIQUITATIS STUDIOSUM

E3\_023 v.1 Hic antiqua sapit, sola hic antiqua revolvit.  
 2 Sed quae nunc fiunt omnia dedidicit.

## MOYSES ET AARON

E3\_024 v.1 Quod manus est menti, Moysi fuit illud Aaron.  
2 Alter erat praebens, alter at accipiens.

## AD THOMAM IHONSTONUM THEOLOGUM

E3\_025 v.1 Ingenium, Jhonstone, tuum, geniusque genusque,  
2 fallor ego, aut nequeunt jam latitare diu.  
3 Verum si latitent, non nostrae est culpa Camenae :  
4 namque inter claros te locat illa viros.

## IN MARCUM

E3\_026 v.1 Nostis cur Marcus tam macra poemata fecit ?  
2 Cum faceret, solas ille bibebat aquas.

## AD IACOBUM REGEM

E3\_027 v.1 Si non te regem Deus et natura creassent,  
2 te regem virtus, te faceretque Deus.

## TUMULUS MARIAE SCOTORUM REGINAE IN AEDE SACRA WESTMINISTERII

E3\_028 v.1 Jam Mausolaeum sileat ventosa vetustas,  
2 et sit Mariaeo gloria tota suo.  
3 Mirorum cumulos tumulo hoc quin cerne, viator.  
4 Cerne et vix oculis cernere crede tuis.

## IN LIVIDUM

E3\_029 v.1 Livide, non miror quod tu mea carmina carpas :  
2 carmina nulla facis, carmina nulla probas.

## IN TURCAM

E3\_030 v.1 Monstrum horrendum, ingens, fidei cui lumen ademptum :  
2 Turca, ego non miror si Polyphemus eris.

## IN GEORGIUM BUCHANANUM

E3\_031 v.1 Quantum acquisivit famae tibi docta poesis,  
2 infamem tanta te tua penna facit.  
3 Improba penna, strygm nata infelicibus alis,  
4 qua laceras dominam tu, Buchanane, tuam.  
5 Haec illa est quondam Scotorum Maria, cujus  
6 viroso invito vate revivet honos.

## AD QUENDAM DE AULO CAUSIDICO

E3\_032 v.1 Improbus est Aulus, dicis. Sed falleris, Aulus  
2 improbus haud ille est, ipsa sed improbitas.

## IN MONETUM QUENDAM NOMINE

E3\_033 v.1 Grammaticis vox est Monetus falsa : moneta  
2 dicendum est. Fallax est quoque cujus erat.  
3 Ergo cum re sit fallax, et nomine falsus,  
4 dici Monetus falsa moneta potest.

## FALLACIAE SEPULCHRUM NULLIBI

E3\_034 v.1 Vidi sepulchra plurimorum plurima,  
2 numquam at sepulchrum videram fallaciae.  
3 Quae causa ? Nemo scilicet mortalium  
4 hanc vidit umquam, vel videbit, mortuam.

## GEMELLI

E3\_035 v.1 Nati una, mores uni, mors una duorum,  
2 ossua sunt uno contumulata loco.

## IN IDAM

E3\_036 v.1 Nostis plumato cur nobilis Ida galero  
2 utitur ? An quoniam sit nota pluma ducis ?  
3 Nempe ille ut Martis, sic est dux illa mariti.  
4 Imperat ille foras, imperat illa domi.

## AD INOPEM AMICUM

E3\_037 v.1 Cum danti quod des tibi nil sit, grata voluntas  
2 si tibi, te laudo : te voluisse sat est.

## AD DIVITEM AMICUM

E3\_038 v.1 Excipe pro dono gratum, dignumque relatu,  
2 nempe nihil, nullo quo potimur pretio.  
3 Nam virtute nihil, nihil est pretiosius auro,  
4 et nihil est summo gratius imperio.

## ARCHIBALDI AVI EPITAPHIUM

E3\_039 v.1 Bellum erat extremum quod Scotos Anglia contra  
2 gesserat, extremum quod sit et usque precor.  
3 Hic Archibaldus cadit infelicibus armis,

4 et moritur patriae victima cara suae.  
 5 At vos, o Angli, vobis caelestia parcant  
 6 numina ! Sic vobis nunc ego parco nepos.

## IN UMBRIONEM

E3\_040 v.1 "Femina nulla usquam casta est", ait Umbrio. Matrem  
 2 nonne meretricem sic probat esse suam ?

## IN DISSIMULATOREM

E3\_041 v.1 Quisquis dissimulas, tum dissimulare memento  
 2 cum tua furtiva vis dare colla cruci.  
 3 Quod cito si facias, prius et quam intellegat ullus,  
 4 sic mihi tu doctus dissimulator eris.

## AD IOANNEM ADAMSONUM THEOLOGUM ET OLIM PRAECEPTOREM

E3\_042 v.1 Adamsone, sacri sector fidissime verbi,  
 2 et sub quo lauri gloria parta mihi,  
 3 te monstrante viam, prisci monumenta Stagiri  
 4 praebuerant animo se manifesta meo.  
 5 Tuque mihi placidos formasti in pectore mores.  
 6 Per te, quicquid id est quod scio, id esse scio.

## AD ACADEMIAM CANTABRIGIENSEM

E3\_043 v.1 Doctorum genetrix, Angliae fax altera gentis,  
 2 cujus ab eximio lumine lumen habet,  
 3 Pierii regina chori, tibi magnus Apollo  
 4 perpetuet sobolem tempus in omne tuam.

## AD ANNAM REGINAM

E3\_044 v.1 Nescio si a Bruto sit dicta Britannia. Ab Anna  
 2 ejus quod pars sit maxima dicta, scio.

## AD ROBERTUM ETONEM EQUITEM, ANNAE REGINAE SECRETARIUM etc.

E3\_045 v.1 Eton inexhaustis Phoebi satiate fluentis,  
 2 Palladis et Suadae viva medulla deae,  
 3 Mars aliis equitum solos largitur honores,  
 4 hos tibi sed praebent Mars et Apollo simul.  
 5 Una manus calamum teneat, manus altera ferrum.  
 6 Sic sis nominibus dignus utrimque tuis.

## IN EUNDEM

E3\_046 v.1 Tantus es ut Latio, vel Quintilianus et ipse

2           exprimere haud nomen quiverit ore tuum.  
3       Ethon es aut Ethos, nec uter sis denique refert.  
4           Omnia sic unus munera mentis habes.

IN DOMINICANUM QUENDAM

E3\_047 v.1       Pectore cum tibi sint Stygio male tincta veneno,  
2           te, domine, haud canum, te voco daemonicum.

AD EDUARDUM COCKEIUM,  
JUDICUM IN CAPITALIBUS PRINCIPEM, ET SUPREMUM,  
SUB REGE, DOMINUM IN ANGLIA etc.

E3\_048 v.1       Os Themidis, Suadae linguam, mentemque Minervae  
2           divum dona trium vir licet unus, habes.

AD IACOBUM REGEM, DE EODEM

E3\_049 v.1       Quamvis milleno periissent funere leges,  
2           inque forent cineres jura redacta leves,  
3       Haec eadem invenias Cockei e corde renata,  
4           illius ut cura jam renovata vides.

AD FERDINANDUM GORGEUM EQUITEM,  
PLYMOUTHAE ARCIS DUCEM ET MECAENATEM SUUM

E3\_050 v.1       Inclyte dux, et eques qui misces Pallada Marti,  
2           et facis ut titulos tollat uterque tuos,  
3       Ferdinande, tuo quod tu pro nomine nomen  
4           Magnanimus magni nobile regis habes.  
5       Omnes regis nam pulchro in corpore vires  
6           sunt tibi, mens fortis, sors tibi sola deest.

AD EUNDEM

E3\_051 v.1       Te subdo hic regi, melius quia subditus olli  
2           nemo est seu tibi Mars, seu tibi Musa placet.  
3       Musae es Maecenas, te Martem miles honorat,  
4           Augustoque tuis solum opus est meritis.

IN INDIGNOS URBIUM MAJORES

E3\_052 v.1       Quod tandem elapso fieri solet almanac anno,  
2           hoc fieri indignus major in urbe solet.  
3       Annum quando suum nam cum perfecit uterque,  
4           Almanac haud aliud sunt nisi uterque vetus.

## AD EPIGRAMMATISTAM

E3\_053 v.1 Esto mihi facilis quicumque epigrammata scribis.  
2 Nimirum nugas non amo difficiles.

## AD ROMAM

E3\_054 v.1 Roma, age, dic aquilam cur tu magis ansere laudes ?  
2 Haec te servavit, saepe ea diripuit.

## IN RERUM DIVINARUM STUDIOSES

E3\_055 v.1 Divinitati sic multi modo student,  
2 humanitatem ut prorsus omnem negligant.

## AD IACOBUM STUARTUM OCHULTRIAE DOMINUM etc.

E3\_056 v.1 Quod primo eluxit fato meliore, sed et mox  
2 paene malo exstinctum est, nobile stemma patris.  
3 In te prole, novo jam tandem fulget honore,  
4 possidet antiquas et novus auctor opes.  
5 Macte ergo virute, et te majoribus offer.  
6 Crescant pro meritis et meliora tuis.

## DE SEIPSO, AD VANUM

E3\_057 v.1 Vane, genus jactes, quod sit mihi nobile quamvis,  
2 non genus, at genium (si volo) jacto meum.

## IN MARCULUM MATHEMATICUM

E3\_058 v.1 Posse mathematicas cum tu te, Marcule, jactas,  
2 ter dena totas luce docere tuas,  
3 non miror, talis tua namque abstractio non est  
4 qualis erat veteri nota mathematico.  
5 Abstrahere ille solet subjectis entia rebus,  
6 at tu res ipsas a ratione trahas.

## IN SIMULATOREM

E3\_059 v.1 Omnes qui simulat capit et quem nulla simultas,  
2 dis simulatorem non simulatus habet.

## IN OSTENTATOREM

E3\_060 v.1 Peritus nimium cupis videri.  
2 Peritum volo, non nimis peritum.

## DE ACADEMIA ANDREAPOLITANA

E3\_061 v.1 Scotorum Andraeae prima est academia gentis,  
 2 tempore, fortuna, condicione, loco.  
 3 Sed si etiam rerum sit cognitione suprema,  
 4 contendunt aliae, non sine laude, scholae.

## IN PAETUM

E3\_062 v.1 Nescio tam multos cur laudes, Paete, poetas,  
 2 quod dicat laudes, hoc scio, nemo tuas.

## IN DANICUM

E3\_063 v.1 Semper ais "nolo", "nolo" mihi, Danice, dicis.  
 2 Vis centum libras ? Dic aliquando "volo."

## AD GUILIELMUM CARUM A GAITSHAW

E3\_064 v.1 Si mores hominum multos quod norit et urbes  
 2 laus haec ductori maxima Dulichio,  
 3 omne genus morum, totum et qui noveris orbem,  
 4 Care, ut quantus honos est tibi, quando homo es ?

## ACADEMIAE OXONIENSIS ET CANTABRIGIENSIS SORORUM CONCORDIA

E3\_065 v.1 Quod sint Oxonia et Cantbrigia docta sorores,  
 2 ipsa ut concedunt, sic quoque nemo negat.  
 3 Tota autem lis est, harum quam maxima natu,  
 4 haec senior, non vult junior illa fore.  
 5 Ut litem hanc tandem dirimant, sint ergo gemellae,  
 6 natae sic uno sintque puerperio.

## DE EADEM

E3\_066 v.1 Ut sunt germanae, sic sint pariterque gemellae,  
 2 Oxoni-Cantbrigia, Cantbrigi-Oxonia.

## IN MALUM POETAM

E3\_067 v.1 Dulcia tu scribis, numeroque fluentia molli  
 2 carmina, quae numquam posse perire putas.  
 3 Fallere : plus vivent quae dura et salsa, sed illa  
 4 putrescent, aliquo sint nisi tincta sale.

## DOMINUS AVARUS

E3\_068 v.1 Non ego sum dominus, domini quia nomine dignus.

2 Sed dicor dominus, do quia dona minus.

IN CURIUM

E3\_069 v.1 Curio contentum se dicit vivere parvo :  
2 ingenio vivit scilicet ille suo.

AD IACOBUM REGEM

E3\_070 v.1 Dulcis oliva regit nostros, Jacobe, Britannos,  
2 et fruitur placido paxque quiesque jugo.  
3 Ergo agimus laeti tanto tibi munere grates,  
4 oblectant genio se tua regna tuo.

AD IOANNEM MORRAVIUM,  
IACOBO REGI A CUBICULIS INTERIORIBUS etc.

E3\_071 v.1 Terreno ter care deo, ter care Tonanti,  
2 Morravi, o Musae spes quoque magna meae !  
3 Unde tuis meritis datur hoc tam nobile nomen ?  
4 An quod sis 'radios' moribus illud habes ?  
5 Non dubium est, sic es facilis, sic gratus amicis.  
6 Sic te, Mor-'radios', rex Iacobus amet.

DE CARMINE

E3\_072 v.1 Tempora carminibus cuncta haud sunt apta legendis  
2 aptus non omnis carminibusque locus.  
3 Ille sapit qui quando locus, cum tempora poscunt,  
4 scit recitare, at plus qui reticere sciat.

DE ANGELIS IACOBI REGIS

E3\_073 v.1 Pauci Jovae angelum petunt tutorium,  
2 Jacobi at angelos petunt quamplurimi.

AD ALEXANDER RAMISEUM, MEDICINAE DOCTOREM

E3\_074 v.1 Rami-'seos' cum sis, rami deus, alter Apollo  
2 scilicet in medicis, hoc tibi quantus honos ?  
3 Aureus hic etenim est ramus qui portitur Orci,  
4 debet cui ramus cedere Dardanius.  
5 Duxit ad infernum hic vivas, sed et ille reduxit  
6 extinctas animas saepius inde tuus.

IOANNIS MORAVII EPITAPHIUM

E3\_075 v.1 Mortuus haud ille est magnus Morravius, ille  
2 mortuus est quem mors imperiosa rapit.

3 At morti in Musas, aeternaque munera Phoebi,  
4 imperium non est. Ille poeta fuit.

## AD MARTEM

E3\_076 v.1 Dimittas, Mars, M ille tuum, tua robora perdes,  
2 sic eris et doctis ars veneranda viris.

## AD TOBIAM MATHAEUM, ARCHIEPISCOPUM EBORACENSEM etc.

E3\_077 v.1 Dici equidem vere poteris, vir magne, Tobias,  
2 tibi Tobiae est caritas.  
3 Quin et Mathaeus quam recte diceris : hujus  
4 est mens tibi, et modestia.  
5 An plus sis videas : unum te dico duorum  
6 naturam habere, et nomina.

## IN SCIOPPIUM

E3\_078 v.1 Docte tui et prudens domini parasite, Scioppi,  
2 'askias' et 'opos', quam bene nomen habes.  
3 Nam tua ne appareat stolido impostura popello,  
4 umbra tu vocem condis, inique, tuam.

## AD AVITUM

E3\_079 v.1 Cras fore prudentem, cras dicis semper, Avite.  
2 Dicere non satis est, quin hodie incipias.

## AD IONETAM MATREM

E3\_080 v.1 Quod nemo matrem nisi se laudaverit ipsum  
2 laudarit, laudes non ego dico tuas.  
3 Si laude invenior dignus, tibi gratia tota est,  
4 est tua laus mea laus, laus mea lausque tua est.

## IN MILVIUM

E3\_081 v.1 Semper eris nequam, si nequam es, perditte Milvi.  
2 Nam nequam est nequam semper, et haud alius.

## IN LYCOPHRONTEM

E3\_082 v.1 Non citius durum mea dextra Lycophrona sumit,  
2 Quam sumptus dextra decidit ille mea.  
3 Decidit, et dico dextraeque pedique poetam  
4 ut tollant. Nulla sed ratione volunt.  
5 Quid faciam ? Parere mihi mea membra recusant.  
6 Quid facerem ? Lycophron, decidis, ergo jace.

## IN IOANNIS MAKIAE EPITAPHIUM

E3\_083 v.1 Hic recubat, veteris quae simplicitatis imago,  
 2 normaque sinceræ Makia amicitiae.  
 3 Marmore non tegitur crasso, nam nuda videri  
 4 debet simplicitas, debet amicitia.

## AD AULICUM QUENDAM

E3\_084 v.1 Aulice, si cordis tibi sit lasciva libido,  
 2 aula conveniens est tibi caula magis.

## IN GUNTERUM GERMANUM GRAECARUM LITTERARUM PROFESSOREM

E3\_085 v.1 In Graecis melior nemo, Guntere, professor  
 2 est te, non si vel Graecus et ipse foret.  
 3 Es tu Germanus, Germana at natio nulla  
 4 Graecari in toto doctius orbe solet.

## IN QUENDAM

E3\_086 v.1 Quid vetat hunc pictis tantum gaudere tabellis,  
 2 cum simile in simili gaudeat omne suo ?

## IN IULIUM ET IOSEPHUM SCALIGEROS

E3\_087 v.1 Et pater et proles generosa sanguine creti,  
 2 ultima Pierii meta fuere chori.  
 3 Noluit esse pater proles, ne gigneret illum  
 4 qui patris inceptum non sequeretur iter.  
 5 Nempe ut magna duo tantum sunt lumina caelo,  
 6 lumina nec poterant plura fuisse solo.

## ALIUD IN EOSDEM

E3\_088 v.1 Non ego Scaligeros caelestis scandere miror,  
 2 scalas queis possint scandere quando gerant.

## IN MERUM SCHOLASTAM

E3\_089 v.1 O doctissime qui fuere vel sunt,  
 2 sed stultissime qui fuere vel sunt,  
 3 o quam te fieri, scholasta, vellem  
 4 prudentem magis aut minus peritum !

## AD DAUCUM

E3\_090 v.1 Dicis te doctum, dicis te, Dauce, disertum.  
2 Illud quod non est dicere, Dauce, soles.

## AD LIVIDUM

E3\_091 v.1 Curta nimis vocitas epigrammata, Livide, nostra.  
2 Concedo, curtus si tibi sitque gigas.  
3 Non sunt curta quibus nil quod superaddere possis,  
4 at tu longa facis, sunt ea curta tamen.

## AD MORIONEM

E3\_092 v.1 Vis fieri sapiens ? Mentiris, Morio, non vis.  
2 Sed fieri si vis, hac ratione potes.  
3 Utere consilio, magnis neve obstrepe verbis.  
4 Sic ipsi placeas tu tibi neve nimis.  
5 Haec tibi si vis est, si mentis tanta potestas,  
6 morio cum nunc sis, esse Minerva potes.

## AD MARCULUM

E3\_093 v.1 Fers numquam novisse meam me, Marcule, matrem.  
2 Sed numquam patrem te puto nosse tuum.

## IN OLUM

E3\_094 v.1 Hispani caput et collum, tergumque Britanni,  
2 femina Suevorum, Flandri at aqualiculum.  
3 Haec tibi cuncta quidem, fateor, sunt, Ole, sed unum  
4 deficit, in cerebro mens tibi sana tuo.

## IN CURIONEM QUENDAM

E3\_095 v.1 Nil habet auratis in bulga Curio plantis  
2 quodque aurum temnat sub pede calcat ait.

## IN AVARUM QUENDAM, CARMEN RETROGRADUM

E3\_096 v.1 Phoebicolis bene fers stipem, nec praemia servas  
2 debita, quae Musis sunt data pauperibus.  
3 Jam scio divitias temnis, non diligis aurum  
4 nobilis, haud cerdo es sic sue sordidior.

## AD ZOILUM

E3\_097 v.1 Hoc sparsum est dira carmen letale cicuta.  
2 Rodere tu soles, Zoile ? Rode, licet.

## LUDUS SCACCHIAE

E3\_098 v.1 Turris, eques, mystes, rex et regina, pedesque.  
 2 It pedes ut caesim, punctim capit, urget utroque  
 3 et capit illa modo. Rex stat, nisi cogitur uno  
 4 ire gradu. Mystes punctim graditurque rapitque.  
 5 Pergit eques, caeditque obverso tramite. Turris  
 6 per medio caesim ruit imperterrita turmas.

## AD IACOBUM REGEM

E3\_099 v.1 A Jove principium Musae est, Jacobe, sed a te  
 2 non modo principium, sed mihi finis erit.

-----

AD SERENISSIMUM POTENTISSIMUMQUE CAROLUM, MAGNAE BRITANNIAE PRINCIPEM.  
 ODA ENCOMIASTICE

E4\_00 v.1 Si lingua posset quas animus velit  
 2 proferre laudes quae tibi debitae,  
 3 se, celse princeps, quo minorem  
 4 fama suis meritis triumphat,  
 5 non vinceret me gloria Thraciae,  
 6 non Mantuanus Pieridum decus,  
 7 Non exul Euxinas ad oras,  
 8 neve lyrae deus ipse Phoebus,  
 9 qualis sed ingens Eridanus sonos,  
 10 cum volvit altos in mare vortices  
 11 emittit, et vicina secum  
 12 cuncta citas rapit in ruinas  
 13 sic ipse vates altior omnibus,  
 14 clamore super sidera, Pierin  
 15 deducere de monte, mecum  
 16 et raperem feriora monstra.  
 17 Fluctus silerent, saxaque nubibus  
 18 aequata saevis flatibus Africi,  
 19 movent quae inaequales procellas,  
 20 Aeolio premerentur antro.  
 21 Orci sileret bellua centiceps,

22 auresque nostris anguipedes sonis  
23 darent benignas, dumque honores,  
24 dumque tuos titulos referrem.

25 Sed te merentem, maxime principum,  
26 quis possit aequis dicere laudibus ?  
27 Aeternitatem nam caduca  
28 sensa hominum superare certum est.

29 Mortalis in vita (ut perhibent) sua  
30 nil prorsus ultra dona trium potest  
31 bonorum habere corporisque  
32 atque animi, placidaeque sortis.

33 Quin suppetunt nec singula singulis :  
34 nam quem venusto corpore conspicis,  
35 cui forma, robur, cui juvenus,  
36 temperies meliorque membris,

37 hic saepe mentem his dotibus imparem,  
38 quamvis in apto corpore gestitat,  
39 et contra, cui deforme corpus  
40 mente potest simulare divos.

41 Utrisque sunt his quique valent bonis,  
42 et mente magna, et corpore consoni,  
43 qui ad summa caeli templa possent  
44 aethereis volitare penes,

45 fortuna quin hos improba deprimit,  
46 fortuna, semper quae fatuis favet,  
47 raroque vel numquam merentes  
48 pro meritis malegrata tollit.

49 At, celse princeps, tu tamen omnibus  
50 istis abundas solus. Habent tua  
51 (externa si referre possem)  
52 ora chori Charitum decentes.

53 Sic tanta membris gratia singulis,  
54 formae decorae cernitur in tuis,  
55 ut vix Apelles ipse posset  
56 te propriis animare signis,

57 vix ipse vivo sculperet marmore,  
58 aut te merentem Praxiteles queat,  
59 versuque debito sonare  
60 Nirea qui cecinit poeta.

61 Hinc ergo juxta hoc, quod veteri ferunt  
62 sermone, quod sit forma potissimum  
63 regnare digna, te ipse vultus  
64 ille tuus volet esse regem.

65 Sed parva cum sit gratia corporis  
66 solius, atque hanc quilibet e grege

67 vilis popelli habere possit,  
 68 et mulier memorare formam.

69 Est et tibi mens celsior omnibus,  
 70 mens, qua vel ipsis aequipares deos,  
 71 cui continendae vix satis est,  
 72 corporeae sacra summa molis.

73 Quae namque virtus, cujus adorea  
 74 non in te honoro vertice fulgeat,  
 75 aut meta cujus ultima in te  
 76 non radiis niteat supremis ?

77 Oblectat ipsam religio, tui  
 78 se pura cordis sub penetralibus,  
 79 Dei reformatusque cultus  
 80 ille tuos habitat penates.

81 Astraea sacris incaluit focis  
 82 divina circum pectora, quae tibi  
 83 tuamque finxit Suada linguam,  
 84 labra sacrae dederant Camenae,

85 dicamne vero quanta modestia,  
 86 moresque quam sint compositi simul,  
 87 constantiae tenorque quis sit,  
 88 quae gravitas tibi et amplitudo ?

89 Heroico sic progredere gradu,  
 90 tollens in altum vivida lumina,  
 91 ut donec incedis, mihi ipsi  
 92 semideum videar videre.

93 Phoebaea tales Tyndaridas chelys,  
 94 talem venustas finxerat Herculem ;  
 95 nato dum ad ingentes labores  
 96 ora decus juvenile texit.

97 Quin hic vel omnes ire per ordines  
 98 virtutum et ausim et dicere ceu tua  
 99 natura ut arte certior sit  
 100 omnimoda, nisi me vocaret

101 Fortuna, cujus viribus asserunt  
 102 nobis negatum posse resistere,  
 103 nec non volentem me juberet  
 104 dicere quid tibi destinavit.

105 Sors nulla regum est sorte beatior,  
 106 in qua supremas circinat orbitas,  
 107 supraque nec possit moveri  
 108 imperiosa rotae magistra.

109 Olli sed ista debitor haud eris  
 110 pro sorte. Nam tu regibus editus  
 111 ad scepra nasceris tuenda

112 per proavos tibi missa mille.  
 113 Nil est favorem quod facias vagum  
 114 monstri biformis : scilicet haud eges  
 115 ejus favore, sed tuo illa  
 116 illa tuo potius favore.  
 117 Fortuna tantum est fabrica principum.  
 118 Jam namque tollunt, jam quoque deprimunt  
 119 et hos et illos, proque nutu  
 120 imperium in populos tuentur.  
 121 In principem quin imperium est Dei,  
 122 qui cuncta sancto numine dirigit.  
 123 Hic omnium est rerum creator,  
 124 quem superi metuunt et imi.  
 125 Rex ille regum maximus, optimus,  
 126 haec regna quondam qui proavis tuis  
 127 tuo patrique ter beato  
 128 tradidit, est tibi traditurus,  
 129 sed sero postquam sidera viderit  
 130 divinus ille, et Christicolum tuus  
 131 pater columna, quam vel annos  
 132 Pyramidum superare cernas.  
 133 Rex ille regum, et rerum opifex Deus  
 134 (me numquam o votum decipiat meum !)  
 135 regnum paternum neve tantum  
 136 det tibi denique, quin et usque  
 137 defendat, oro, saecula in omnia.  
 138 Servet, gubernet, ampliet, augeat,  
 139 natique natorum tuorum  
 140 innumeros videant nepotes.

#### EPIGRAMMATON CENTURIA IV

##### AD CAROLUM PRINCIPEM

E4\_01 v.1 Principium ante Deus de principio exstitit orbis.  
 2 Ast ipsum hic nostrum a principe principium est.

## AD EUNDEM

E4\_02 v.1 O cui patrias ediscere contigit artes,  
 2 ut dubium proles, Carole, sisne pater,  
 3 virtutum afflatu teneram hinc tibi personat aurem  
 4 "phull'areton", tuus est qui mage quam suus est.  
 5 Est et Morravius radius tibi denique morum.  
 6 Non mirum est paucos te tibi habere pares.

## AD FREDERICI PRINCIPIS PALATINI RHENI FILIUM PRIMOGENITUM

E4\_03 v.1 Quidam, nescio quis quod sis spes una Britannum  
 2 dixerat in versu, forte poeta, suo.  
 3 Ast apage hunc titulum. Namque est spes una Britannum  
 4 Carolus, et nobis altera spes satis est.

## AD CRITICUM

E4\_04 v.1 Critice, quando meae repeto tibi carmina Musae,  
 2 quae pejora facit, sed meliora nequit,  
 3 semper ais non ante mihi censura feretur,  
 4 omnia quam lima liberiore traham ;  
 5 limavi toties ut nil mihi denique restet.  
 6 Da modo censuram, Critice, quaeso tuam.

## AD OBSCURUM POETAM

E4\_05 v.1 Cur sic obscure scribas, obscure poeta ?  
 2 Cur adeo veteri sic tibi voce places ?  
 3 Hocne facis nemo ut tua sensa intelligat ? Atqui  
 4 hoc melius facias, si penitus sileas.

## AD AELLAM

E4\_06 v.1 Bis binae fuerant furiae cum vixit Aella.  
 2 Mors rapit : ad numerum jam rediere suum.

## IN AULUM CAUSIDICUM CHIRAGICUM

E4\_07 v.1 Quin capis, Aule, cliens id quod tibi porrigit aurum ?  
 2 Est tibi mens saltem, si tibi nulla manus.

## AD FRANCISCANUM QUENDAM

E4\_08 v.1 Funiger, haud funis pingui pro ventre ligamen,  
 2 sed laqueus collo debuit esse tuo.

## BELLUM BACCHICUM

E4\_09 v.1 Intrant ad acre praelium magni viri  
 2 ductore Baccho. Praelii vero locus  
 3 tanti taberna est, hedera vexillum, tubae  
 4 fides, et enses cyathi, et hastae lychnea.  
 5 At sunt scolopeta fistulae tobaccicae.  
 6 Clamant, ruunt, icunt, cadunt quam fortiter.  
 7 Quid multa ? Multa sanguinis diffusio !

## AD MENELAUM

E4\_010 v.1 Non ad te currunt doctorum turba virorum.  
 2 Currunt ad cenam sed, Menelae, tuam.

## CALVINI METAMORPHOSIS INEPTA

E4\_011 v.1 Calvinus si sit Lucianus nomine verso,  
 2 verus et Alcuinus sic Lucianus erit.

## AD PHILOMUSUM, DE HYPOCRITA

E4\_012 v.1 Aspicias incomptis hunc tu, Philomuse, capillis,  
 2 cujus et ipse times triste supercilium.  
 3 Qui loquitur patres, cui biblia semper in ore,  
 4 nolito fronti credere, fronte caret.

## IN LAEAM

E4\_013 v.1 Natura ut matrem, sic inclementia monstrum,  
 2 te facit in prolem, dira virago, tuam.  
 3 Vel si non monstrum es, monstro es monstrosior omni,  
 4 saevior et saevis, saeva leaena, feris.  
 5 Non odit teneros saevissima bellua fetus,  
 6 tu cane, tu prolem pejus et angue fugis.

## THOMAE OVERBURII EQUITIS VITA ET MORS, AD VIATOREM

E4\_014 v.1 Vita hominis quae sit, quae mors, vis scire, viator ?  
 2 Est Heraclitus, qui modo Democritus.  
 3 Hic sibi nimirum, docet ut suus ecce character,  
 4 quin ille infelix mortuus est aliis.

## IN LUTHERUM

E4\_015 v.1 Lutherus cum sit purus, mihi dicite quare  
 2 et puritanus non quoque verus erit ?

## AD D. MASEOTUM, MEDICUM RUPELLANUM

E4\_016 v.1 Aut Mesue, aut aegris alter, Maseote, Machaon,  
 2 cum placeat medicas applicuisse manus.  
 3 Quando ad supremum mihi fractae in corpore vires,  
 4 et jam nil nisi mors quod sequeretur erat.  
 5 Marte tuo in mortem tunc est mihi reddita vita.  
 6 O utinam a Musa sit tibi vita mea !

## IN CORDUM

E4\_017 v.1 Vir bonus et simplex cum non vis, Corde, vocari,  
 2 te merito duplicem nonne vocabo virum ?

## AD IOANNEM KING EPISCOPUM LONDINENSEM etc.

E4\_018 v.1 Care Deo, care idem homini, caeloque soloque,  
 2 cui cordi pietas, gratia, pura fides,  
 3 tu verus recti es custos, tu cultor honesti,  
 4 prudens, et sancta simplicitate probus.  
 5 Esse olim regem qui dixit 'poimena laôn',  
 6 de nullo aut de te dicere jure potest.

## IN MARIUM

E4\_019 v.1 Laudavi Marium, nil dixit, nil dabit ergo.  
 2 Quas dixi laudes legerat, ergo dabit.  
 3 Cum Graecus partim, cum sit partimque Latinus  
 4 Carolus, hoc nomen credo quod omen habet.  
 5 Carus 'olos' totus suavis, jucundus, amicus,  
 6 moribus, ingenio, liberiore manu.  
 7 Nomine sic jungis qui nomina Graeca Latinis,  
 8 ipsum num re rem jungere posse putem ?

## PECUNIAE PENURIA, UNDE

E4\_021 v.1 Hinc est nummorum quod tanta penuria, nummos  
 2 consumunt juvenes, concumulantque senes.

## PARADOXON, MIRACULA NON CESSARE

E4\_022 v.1 Quod Christianis asserunt miracula  
 2 cessare nuper omnia  
 3 Falsum videtur. Nam virum vere probum  
 4 videre jam miraculum est.

## IN PATREM QUENDAM

E4\_023 v.1 Consilium praebes gnato, non accipis ipse.

2           Hoc sapere est gnatum plus voluisse patre.

AD IOANNEM DUNBARUM, PHILOSOPHIAE PROFESSOREM RUPELLANUM

E4\_024 v.1       Fredeat usque licet, fremitetque ignobile vulgus,  
 2           haud poterit titulis detrahere ulla tuis.  
 3       Dum namque in pretio fuerit clementia, dumque  
 4           in pretio pietas, pax, amor, atque fides,  
 5       quaeque in te demum est, Dumbare, scientia rerum,  
 6           tu vivis, vulgus quando peribit iners.

AD EUNDEM

E4\_025 v.1       Quod gravitas, Dumbare sophi, tibi convenit, illic  
 2           nomen ait, doctus sis bene dumque 'barus'.

IN MEDICOS NOSTRI SECULI

E4\_026 v.1       Si medici sunt dii, ceu saecula prisca putarunt,  
 2           o quam nunc aetas nostra beata quidem est !  
 3       Nempe in qua juvenes medicos tot ubique videmus,  
 4           esse queunt qui dii quam prius esse viri.

IN MACRINUM

E4\_027 v.1       Cum tantum studeas stultus, Macrine, videri,  
 2           hoc quod es esse studes, quaere aliud studium.

CAECI AMICITIA

E4\_028 v.1       Qualis amicitia haec ? Nam non tu, caece, sodalem  
 2           cures suspensum posse videre tuum.

AD PONTICUM

E4\_029 v.1       Cur patre illustri jactas te, Pontice, natum ?  
 2           Mentiris. Genitor nam tibi sartor erat.  
 3       Aut genitor tibi sartor erat, vel, Pontice, sutor.  
 4           Calceus hinc, hinc te pallia nobilitant.

AD EUNDEM

E4\_030 v.1       Omnis nobilitas est a virtute, sed omnis  
 2           est a veste tibi, Pontice, nobilitas

AD D. LOUMAEUM THEOLOGUM RUPELLANUM

E4\_031 v.1       Qui medicus fueras, nunc es, Loumaee, minister,

2           quod quondam medicus, jamque minister agis :  
3       hoc tamen ut video discrimine, corporis olim,  
4           nunc animi afflictis quod medeare malis.

AD IACOBUM FULLARTONUM EQUITEM,  
CAROLO PRINCIPI AB INTERIORIBUS CUBICULIS etc.

E4\_032 v.1       Fullartone, meis semper celebrande Camenis,  
2           mores sive tuos praedico sive genus,  
3       sancta fides, pietaque tibi sub pectore regnant,  
4           omniaque eximio munera digna viro.  
5       Auxerunt equitis tituli tibi nobile stemma,  
6           fors favet, et meritis splendida fama tuis.

AD EUNDEM

E4\_033 v.1       Sive 'αρειτής' fuerit 'φυλλόν', vel 'φυλλόν Αρης',  
2           in Fullartorum quadrat utrumque suum.

IN MACRINUM

E4\_034 v.1       Est tibi pulchra quidem, fateor, Macrine, crumena.  
2           Sed nihil est praeter pulchra crumina tibi.

IN STUDIOSUM QUENDAM

E4\_035 v.1       Ut libros emeret studiosus vendidit agros.  
2           Nil praeter libros nunc studiosus habet.

IN SILURIUM

E4\_036 v.1       Laedere te nolo, sed nec laudare, Siluri.  
2           Nolo sis sapiens, nolo quod insipiens.  
3       Nec tibi sit Maevi, nec sit tibi vena Maronis.  
4           Nolo nimis doctum te fore, nolo parum.

IN SALIUM

E4\_037 v.1       Nullos esse probos, virosque frugi  
2       affirmat Salius : probatne prorsus  
3       hac ipsa ratione se esse nequam ?

IN THELESINUM

E4\_038 v.1       In campis nigro pomum cum pane comedit,  
2           et prandisse foras se Thelesinus ait.

## AD THOMAM VALLAM A CRAGIE

E4\_039 v.1 Dumbaro dilecte tuo, doctissime Valla,  
 2 et semper Musis condecorande meis,  
 3 nulla equidem nostram trahit admiratio mentem  
 4 terrarum varios te peragrarare sinus,  
 5 sed multum admiror sacrae nisi gloria turbae  
 6 Gallia, det genio munera digna tuo.

## DE STATUIS

E4\_040 v.1 Esse homini similes statuae per singula debent :  
 2 nunc homines multi sunt similes statuis.

## DE PICTURIS ET STATUIS, ALITER

E4\_041 v.1 Facta suo similis picto pictura niteret,  
 2 picturae at pictus nunc magis est similis.  
 3 Sic stantes debent statuae sculptosque referre,  
 4 at referunt statuas pars bona saepe suas.

## AD ALEXANDER WODNEUM, DE SUO OLIVERO BETELERO

E4\_042 v.1 Non quod Oli-verum redames sic, Vodnee, ramum  
 2 miror, nam hunc ramum Palladis esse ferunt.  
 3 Quin tibi ceu Pallas, cum cordi est doctus Apollo,  
 4 "Ουδενος" (hoc miror) cur anagramma tuum est ?  
 5 Nimirum haud aliter quam ut nomine dictus Ulyssse  
 6 'Ούτινος', et dictus 'Ουδενος' esse potes.

## AD MOMUM

E4\_043Av.1 Dente ruens in me saevo ceu Lacon in agnum,  
 2 cur mordes versus, invide Mome, meos ?  
 3 Duri sunt illi nimium. Tibi consulo, dentem  
 4 frangere si non vis, me sine cum poteris.

## AD CAROLUM PRINCIPEM

E4\_043Bv.1 Virtus magna tibi, rerum et prudentia major  
 2 florent ante tuos, Carole magne, pilos.

## AD THOMAM MORAVIUM CAROLI PRINCIPIS PRAECEPTOREM etc.

E4\_044 v.1 Quae tibi, Moravi, virtutes principe dignae  
 2 fecere ut custos principis ipse fores,  
 3 mens pia fida tibi est, facies gravis, actio constans,  
 4 solers ingenium scire tibi eximum.  
 5 Carolus his quod sit teneris assuetus ab annis,  
 6 id debet genio terra Britanna tuo.

## DEPLORATIO TEMPORUM

E4\_045 v.1 Non sacrae doctis nomen famamque sorores  
 2 dant modo, sed vilis sartor utrumque dabit.  
 3 Nimirum haud homines faciunt virtute sorores,  
 4 verum sartores vestibus hos faciunt.

## AD AULUM

E4\_046 v.1 Quod voco te dominum, ne sis tamen, Aule, superbus.  
 2 Sic ego mancipium nomino saepe meum.

## AD IOANNEM RE, CRITICUM

E4\_047 v.1 Non potes esse nihil, namque ablativus in usu est.  
 2 Re, rectum casum des mihi, res et eris.

## AD EUNDEM

E4\_048 v.1 Quomodo te vocitem, Musarum docte sacerdos ?  
 2 An Re, Res, Raius, vel Reus esse velis ?  
 3 Esse reus non vis ne condemnere, nec esse  
 4 aut ablativus, re quoque sic nec eris.  
 5 Feminei generis res est, tu masculus. Ergo  
 6 cum neque Res fueris, Raius esto tuis.

## IN FUCATAM MULIEREM

E4\_049 v.1 Umbra viri est mulier, sed nil est umbra. Quid ergo est  
 2 fucata ? Umbra umbrae est, sic nihilo minor est.

## AD QUENDAM INVIDIOSUM

E4\_050 v.1 Tu mala nostra vocas epigrammata. Quaerere noli  
 2 ex illis cur te tunc ego sustulerim.  
 3 Nimirum mala sunt, sed ne pejora putentur  
 4 excerpsi nomen, invidiose, tuum.

## IN MINISTRUM QUENDAM INDOCTUM

E4\_051 v.1 Extemporalis est minister hic factus.  
 2 Nam contionem non legit, mihi crede.

## IN TONGILLUM

E4\_052 v.1 Uri Tongillus morbo male dicitur aeger.  
 2 Novi hominis mores, cum Glycira cubuit.

3 Pertundi medicus venam praescribit, at errat,  
4 hunc si Tongillum febre calere putet.

## AD AUCTIONUM

E4\_053 v.1 Frustra quod nostris faveas ais, Aucte, Camenis.  
2 Non mihi fautor eris, ni mihi fotor eris.

## IACOBI STUARTI ET GEORGII WHARTONI FATUM

E4\_054 v.1 Ambo annis animisque pares, et moribus ambo,  
2 et gente, et geniis, et genere ambo pares.  
3 Ambo pares, etiam parili certamine vinci  
4 hic ut non potuit, sic nec et ille potest.  
5 Ambo tamen victi, quod se non vincere possent.  
6 Victores victi nempe fuere sibi.

## ALIUD DE IISDEM, AD BRITANNOS

E4\_055 v.1 Jam tandem lento concisa Britannia bello  
2 hic videat lucri symbola certa sui.  
3 Hinc Anglus Scotum, Scotusque interficit Anglum.  
4 I nunc et lites, terra Britannia, fove.

## AD PATRICIUM IUNIUM IACOBO REGI A BIBLIOTHECA

E4\_056 v.1 Nescio, ne valeam, si sit te doctior alter.  
2 Doctrinam ostentat sed scio nemo minus.

## IN CHLORIDA

E4\_057 v.1 Esse loco nescit cum myste Chloris in uno.  
2 Pejerat et mysten se neque posse pati.  
3 Non miror : mystae caelum est locus, illius Orcus.  
4 Adde quod haud ipsum scit tolerare Deum.

## AD AULUM

E4\_058 v.1 In toto semel, Aule, die te mandere dicunt :  
2 a mane ad noctem scilicet, Aule, sedes.

## AD THOMAM GOADUM SACRAE THEOLOGIAE DOCTOREM etc.

E4\_059 v.1 Goade, Aonii notissima fama fluenti,  
2 quo nemo sacras largius hausit aquas,  
3 nostram ut jussisti prodire in lumina Musam,  
4 prodeat in laudes et mea Musa tuas.  
5 Quin et ab hac, etiam vel laus tibi quantula summa est ?  
6 Quam tu ejus, laudis plus eget illa tuae.

## AD ZOILUM

E4\_060 v.1 Zoile, ne ducas vultus. Jam namque placere  
 2 inveni potero qua ratione tibi.  
 3 Esse tua haec fingas mea carmina. Forsitan ipsi  
 4 quae tua sunt placeant, si mea non placeant.

## AD VANUM

E4\_061 v.1 Si nostrum contemnis "ave" qui serica gestas,  
 2 non te sed vestes, vane, saluto tuas.

## AD D. MERLINUM, THEOLOGUM RUPELLANUM

E4\_062 v.1 Cum memini quanto divina oracula zelo  
 2 tractes, et quantum fulmen ab ore fluit,  
 3 Merline, eximias aeterna in saecula dotes,  
 4 non possum ingenii non meminisse tui.

## AD TORVULUM

E4\_063 v.1 Torvule, cur oculo semper nos aspicias uno ?  
 2 Non oculos plures est quia luscus, habes.

## AD MARINUM

E4\_064 v.1 Pulchre legit Marinus, est tamen stultus.  
 2 Multum sapit Marinus, est tamen stultus.  
 3 Legem explicat Marinus, est tamen stultus.  
 4 Togatus est Marinus, est tamen stultus.  
 5 Scribit libros Marinus, est tamen stultus.  
 6 Quicquid facit Marinus, est tamen stultus.

## AD CORDOLUM

E4\_065 v.1 Sunt hominis frugi tibi verba et, Cordole, vultus.  
 2 Cetera, crede mihi, sed nebulonis habes.

## AD IOANNEM OENUM EPIGRAMMATISTAM

E4\_066 v.1 Te pars Oenum, pars altera dicit Oenum,  
 2 teque Audoenum pars, Odoene, vocat.  
 3 Nomina Romanis tria sunt, sed quattuor uni  
 4 Sunt tibi. Quae causa est ? An quia Vallus homo est ?

## AD EUNDEM

E4\_067 v.1 Hexametro semper tua, pentametroque Camena  
2 claudicat. An non hinc tardior esse solet ?

DE EPIGRAMMATE

E4\_068 v.1 Anguillae pulchrum par esse epigramma videtur,  
2 utrisque in cauda nam sua vita sua.

AD ALEXANDRUM STUARTUM GARLISII DOMINUM

E4\_069 v.1 Heroum generose haeres, qui sanguine longo  
2 ducis ab innumeris nobile nomen avis,  
3 si tantum laus magna viris sit debita magnis,  
4 qua<nam> tam parvum pinxero laude virum ?  
5 Quin magna te laude fero. Nam corpore parvus  
6 sis licet, at magno magnus es ingenio.

AD IACOBUM CARMICHAELEM CAROLO PRINCIPI A MENSA etc.

E4\_070 v.1 Cum tibi quae pietas, caelo quaeque aemula virtus,  
2 et videam quanto pergis ad astra gradu,  
3 angelicis si corda essent mortalia, possem  
4 dicere quod vere Cor Michaelis habes.

DE CAPELLA

E4\_071 v.1 Dicta capella fuit caprarum a pellibus, olim  
2 his quod Christicolum tecta sacella forent.  
3 At cur non templum potius dicatur ovile,  
4 Christiadae Christi quando vocantur oves ?

RESPONSIO

E4\_072 v.1 Id quod ovile olim dici jam possit "onile" :  
2 ignavae quid oves sunt, rogo, praeter : "onoi" ?

DE ANNO REFORMATO ET REFORMATATA ANGLORUM FIDE

E4\_073 v.1 Angla reformatum capiat quem Roma dat annum,  
2 Roma reformatam quam tenet Angla fidem.  
3 Utraque sic cedet, Christi et coalescet in unum  
4 caula reformatus totus et orbis erit.

ALIUD

E4\_074 v.1 Annum laudo novum. Verum o utinamque reforment,  
2 ut prius hunc annum, postea sic animum.

## ALITER

E4\_075 v.1 Esto, reformastis merito anni tempora. Verum  
2 non annum, ast animum vos renovare velim.

## MARCI ALEXANDRI BODII EPITAPHIUM

E4\_076 v.1 Scriba Heroinum Naso, rescripserat illis  
2 responsa heroum qui jacet hic Bodius.  
3 Quantum heroinis heroum est gloria major,  
4 Nasonis Bodii gloria major erit.

## IN CORNUTUM

E4\_077 v.1 Thaida duxisses, duxti, Cornute, Dianam.  
2 Non mirum : Actaeon scilicet esse cupis.

## AD ACADEMIAM EDINBURGENAM

E4\_078 v.1 Optima Pieridum fautrix et forma sororum,  
2 aeternum claros quae paritura sophos,  
3 O schola, quae nostrae formatrix summa juventae,  
4 unde magisterii candida dona mei,  
5 qua dignam te voce feram ? Vix ipsus Apollo  
6 te poterit meritis commemorare modis.

## EMBLEMATA DE VITRO VENETIANO

E4\_079 v.1 Vitrea jam mittit serpens ex ore Falerni  
2 spumantem cyathum. Quis fugere inde velit ?  
3 Omnia serpentum non sunt laetalia tela.  
4 Haec non fert laetum, fert tibi laetitiam.

## IN R. DALLINGTONIUM CAROLO PRINCIPI A PRIVATO CUBICULO etc.

E4\_080 v.1 Si Musae multis vellent se exponere linguis,  
2 eligerent linguam, credo, Dalingtoniam.

## AD EUNDEM

E4\_081 v.1 Itala lingua tibi est, lingua est tibi Gallica, Graeca.  
2 Scis quid et Hispanum, quid Latiumque sonet.  
3 Sic patriae forsitan poteris dediscere linguam,  
4 at patrios mores, cor, animumque nequis.

## AD MUSCULUM THEOLOGUM

E4\_082 v.1 Musculus es, fateor : capiti nam rite renectis  
2 mystica tu Christo, Muscule, membra suo.

## IN LAICUM DECIMATOREM

E4\_083 v.1 Tonsor novellus omnium ad domus vadit,  
 2 decimas petens exactione crudeli.  
 3 Nec pauperi quam diviti magis parcit.  
 4 Sed iste tonsor non oves suas tondet.  
 5 Non tondet, inquam. Quid, rogo, facit ? Radit.

## D. HUMEI, DUMBARI COMITIS, EPITAPHIUM

E4\_084 v.1 Gente illustri ortis, fidus regi intimus, osus  
 2 a populo, gratus sed bene praesulibus.  
 3 Justitiae vindex. Gemini illo gnata superstes.  
 4 Atque Humeus fuerat qui modo, nunc humus est.

## IN FANNIAM

E4\_085 v.1 Nomen, non verbum est : inflecti Fannia possit,  
 2 sed conjugari non potest.

## DE ACADEMIA GLASCOVIENSI

E4\_086 v.1 Anglis Oxoniae certet Cantbrigia, Scotis  
 2 certant Andreae Glascoviaeque scholae.  
 3 Glasgoa quod par sit non audeo dicere, verum  
 4 florere Aonias hic quoque dico deas.

## IN QUENDAM PAECHAM

E4\_087 v.1 Quam bene se Chami dicit de nomine Paecham !  
 2 Hic patriae patrem risit, ut ille patrem.

## AD ZOILUM

E4\_088 v.1 Zoile, tunc audes etiam mordere poetas ?  
 2 Nam tu rhetoricus diceris esse canis.

## DE MORTE CONTEMNENDA, AD RELIGIOSUM

E4\_089 v.1 Quid mortem timeas, cum sit privatio vitae  
 2 mors nisi nuda tuae, praetereaue nihil ?  
 3 Syllaba vix illa est, nedum ut sit dictio, tollas  
 4 si modo vocalem quae sibi sola suam.  
 5 Quam licet et linguas, quando halitus ultimus exit,  
 6 o nisi tunc tantum quod verearis erit.

## MORS ET ORBIS

E4\_090 v.1 Morti linque orbem, morienti tollitur orbis.  
 2 Orbem tolle orbi, nil quoque et orbis erit.  
 3 Mors sine et orbe nihil, moriens ne cogitet orbem.  
 4 Sic mors nil illi, nil erit orbis ei.

## ALIUD : MORS ET ORBIS, AD EUNDEM

E4\_091 v.1 Si "mors", sique "orbis" deponant gramma caninum,  
 2 Quid facias ? "Mos" est, relligiosus "obis".

## M. MOURAE A MOCHROM EPITAPHIUM

E4\_092 v.1 Moura equitis proles, equitis lectissima conjux,  
 2 finiit ut vitae ter tria lustra suae,  
 3 Persolvit tandem seris sua debita fatis.  
 4 Nempe animum caelo, mortua membra solo.

## AD BIBONEM

E4\_093 v.1 Verba duo Hebraee cum nosti, Hebraeus haberi  
 2 vis, Bibo. Quin sic est, Ebrius esto licet.

## AD HOSPITEM

E4\_094 v.1 Eia age, quisquis ades longinquis hospes ab oris,  
 2 quid maria et terras tot penetrasse juvat ?  
 3 Namque agros, regna, et populos, urbesque domusque  
 4 haec etiam poteris cuncta videre domi.  
 5 Quid lucri ex tanto, sed si vis scire, labore ?  
 6 Fit via longa tibi, fit tibi vita brevis.

## AD CAROLUM PRINCIPEM

E4\_095 v.1 Dis genite, et geniture deos si Delphica rupes  
 2 vera sonat, magni mitis imago patris,  
 3 cum tua sint omni majora encomia voce,  
 4 sit sentire satis, dicere quae nequeo.

## IN I. T. POETAM AQUEUM

E4\_096 v.1 Dum vates Aqueus sugit Permessidos undam,  
 2 spongia num tantum pressa remittit aquae ?

## AD LANGUM

E4\_097 v.1 Qua factus ratione sit poeta  
 2 numquam carmina quem dolasse constat ?

3 Hoc dicat tibi, Lange, praedicator,  
4 qui numquam tamen ipse praedicavit.

AD STOICUM BARBATUM

E4\_098 v.1 Inter cur armenta locum primum accipit hircus ?  
2 Barbam nimirum, Stoice, solus habet.

AD QUENDAM

E4\_099 v.1 Cedere si memini, tu mihi dicis, et ipse  
2 cedere non aliter me quoque dico tibi :  
3 Te tu mi dicis, me te dico esse minorem,  
4 ut mihi tu major. Sic tibi major ego.  
5 Me dico esse nihil, tu te nihil esse fateris.  
6 Si sumus ambo nihil, tunc sumus ambo pares.

AD LECTOREM CRITICUM

E4\_100 v.1 Me, mea quod nimium brevia haec epigrammata, carpis.  
2 At tu nulla facis. Sunt breviora tua.

EPIGRAMMATON CENTURIA V

AD CAROLUM PRINCIPEM

E5\_01 v.1 Carole, qui dignum digno te carmine laudet ?  
2 Nam minor est meritis laus vel et ipsa tuis.

AD EUNDEM

E5\_02 v.1 Agesilao si fides debet dari,  
2 loco locatus praebet omnem gloriam.  
3 Sic, celse princeps, carminum nullum genus  
4 quo continere, gloriam tibi addere  
5 potest. At ipse gloriam das omnibus,  
6 versus ineptos reddis aptos et bonos,  
7 minusque gratis gratiam comunicas.

## LEX SALICA

E5\_03 v.1 Gallorum regni haeredes esse impedit Anglos  
 2 Salica lex, sua dum lilia nere negat.  
 3 At si non lex est, lacus est quoque Salicus Anglis,  
 4 cujus (ut in fatis) oblitteretur aquis.

## AD GALLICUM, DE EADEM

E5\_04 v.1 Dic mihi femineum cur non succedere sexum  
 2 Salica lex regno vult tua, Galle, tuo ?  
 3 Te virgo Aureliae docuit quid femina possit,  
 4 cum valida hoc regnum rursus ab hoste rapit.  
 5 Virginis haeredem non te pudet esse, sed haeres  
 6 te pudet ut regni sit quoque virgo viri.

## DE SEXU FOEMINEO

E5\_05 v.1 Vincere femineum, simul et sibi flectere sexum,  
 2 res est nec facilis, nec quoque tuta nimis.  
 3 Nil non Alcides vicit, sed gloria victi  
 4 huic minor Antaei quam fuit Antiopes.

## AD LECTOREM

E5\_06 v.1 Hos lege quaeso meos, hoc est, intellige versus.  
 2 Est aliter legere, nil nisi negligere.

## AD ANDRAEUM DUMCANUM THEOLOGUM

E5\_07 v.1 Non dubito, dum cana tibi est prudentia rerum,  
 2 tum tibi canus amor, dum tibi cana fides,  
 3 dum scriptis pariter sacris, pariterque profanis  
 4 canus es, et cano canus es eloquio,  
 5 Dumque omni demum canus virtute senescas,  
 6 semper Dum - canus quin mihi totus eris.

## AD HISPANUM

E5\_08 v.1 Quin, Hispane, caves temere hoc ne fregeris ovum ?  
 2 Vix tutum est, hostis si tibi Gallus inest.

## AD ANNAM REGINAM

E5\_09 v.1 Edita sceptigerum generoso e sanguine regum,  
 2 Regina o nostri gloria celsa soli,  
 3 quid mirum est si tanta tibi est sapientia cordi ?  
 4 Nimirum es Sophiae dia propago tuae.

## AD CAROLUM HOWARDUM ANGLIAE D. THALASSARCHAM etc.

E5\_010 v.1 Pro meritis, generose, tuis si carmina ferres,  
 2 essent Phoebeis anteferendae (et) odis.  
 3 Ingenium excellens, mens magna, et nescia vinci  
 4 pectora divino numine corda calent.  
 5 In te Maeonius vere descripsit Ulyssem,  
 6 Palladaque, et fidi munera Pirithoi.

## IN FRANCISCUM RABLAEUM

E5\_011 v.1 Neve Anabaptista est, neve est papista Rablaeus,  
 2 neve reformatae relligionis homo.  
 3 Ergo quam sequitur sectam si forte requiris,  
 4 nullius aut sectae est, aut atheista fuit.

## AD COMOEDUM

E5\_012 v.1 Sis dubito (totidem mutas cum veste colores)  
 2 Comoedus an chamaeleon.

## AD CORDOLUM

E5\_013 v.1 Cum cor, Cordole, te jubes vocari,  
 2 dic, est hic, rogo, nonne summus error ?  
 3 Tu si Cordolus ante dictus esses,  
 4 hac dolus ratione dicereris.

## AD PAUPEREM DATOREM

E5\_014 v.1 Quisquis is es qui das opulento munera, dicis  
 2 "Quod tibi jam dederam bis mihi redde meum."

## IN MARSUM

E5\_015 v.1 Marsus habet decimas, fateor, sed plurima debet.  
 2 Quando persolvit, Marsus habet decimas.

## IULII CAESARIS ET GREGORII PAPAE ANNUS

E5\_016 v.1 Caesar Gregoriusque annum dum jure reformant,  
 2 deformant regni res sine jure sui.  
 3 Scilicet antiqui facies a Caesare regni  
 4 versa est, a papa pristina relligio.  
 5 Malo reformari civilem a Caesare flammam,  
 6 malo reformatam Gregorifique fidem.

## AD BRISSONEM

E5\_017 v.1 Promptius enumerem quot volvant aequora fluctus,  
 2 quam possem laudes dicere, Brisso, tuas.  
 3 Haene quod innumerae tibi sunt ? Quin fallere prorsus :  
 4 est quia te nullas quae numerentur habes.

## IN VIRRONEM

E5\_018 v.1 Inquinat usque adeo mentem tibi bruta libido,  
 2 vah ! tibi jam, Virro, vix licet esse viro.

## IN EUNDEM

E5\_019 v.1 Virro, tuus frater panem de farre canino,  
 2 ad te si nullus venerit hospes, edit.  
 3 Ipse autem nivea mollique siligine factum  
 4 semper edis, cum vel solus es hospitio.  
 5 Possit at ut similem frater quoque mandere panem,  
 6 ad te, Virro, domum plurimus hospes eat.

## IN COTTAM

E5\_020 v.1 Tu mihi laudari te dicis ab omnibus unum,  
 2 nec quis te laudet dicere, Cotta, potes.  
 3 Quin sic laudari tibi si sit ab omnibus, aequae  
 4 vellem ut qui laudet te, tibi nemo foret.

## AENIGMA DE VERU

E5\_021 v.1 Dic mihi quod sit opus, cui quo studiosius instas,  
 2 ad finem tanto pertrahis usque minus ?

## AD HENRICUM SPELMANNUM EQUITEM

E5\_022 v.1 Strenue Pegasidum fautor, Spelmanne, sororum,  
 2 et semper Clario suspiciende deo,  
 3 seu facias versus, veterum seu gesta revolvias,  
 4 ornate scribas, juraque sancta scias,  
 5 nemo te superat, nemo praecedit, at omnes,  
 6 quod nec et hoc jactes, te superare soles.

## IN PLUTIIUM

E5\_023 v.1 Quod nullum laudare putat se, Plutius errat.  
 2 Illius laudes namque Apuleius habet.

## IN ANDRAGORAM

E5\_024 v.1 Andragoras omnes ad pugnam provocat : "Aures

2           audet et an mihi quis vellere ?" Torvus ait.  
3       Nec curat tegere, aut instanti arcere periclo.  
4           Quae causa est ? Aures non habet Andragoras.

IN LIBRUM SUUM

E5\_025 v.1       Ne vereare, liber, si sit tibi nullus amicus.  
2           Si tua culpa mea, est tua causa mea.

AD POETAM AULICUM

E5\_026 v.1       Miraris dominos, poeta, solos,  
2           nec laudas nisi maximas monarchas.  
3           Ne temnas, rogo, me licet minorem.  
4           O quantum cupio tibi placere !

AD IACOBUM MAXVELUM ANTIQUITATIS STUDIOSUM

E5\_027 v.1       Musarum studiis sic tu, Maxvele, senescis,  
2           ut prorsus studiis immoriare tuis.  
3           Hac novus ac poterit ratione surgere Phoenix :  
4           nimirum his studiis est tibi vita mori.

IN PONTINIANUM QUENDAM

E5\_028 v.1       Si quis is est in quo rabiosa superbia regnat,  
2           aut inconstantem quem levis aura movet ;  
3           si quis avaritiam corrupto in pectore turpem  
4           ardet et obstrictam scit violare fidem ;  
5           denique si quis is est quem sacrae odere Camenae,  
6           unus pro cunctis Pontinianus erit.

IN OECOLAMPADIUM

E5\_029 v.1       Esse haud est mirum tantam hac in lampade lucem :  
2           ipso 'oiko' lampas quando sit illa 'Dios'.

AD IACOBUM MARCHIONEM HAMILTONIAE etc,

E5\_030 v.1       Regis nomen habes terrae immortale Britannae,  
2           quin etiam ingenium tu quoque regis habes.  
3           Indidit hoc nomen rex, quin tibi nomine tanto  
4           dignum est ingenium, nomen ut ingenio.  
5           Sic magno est metata animo te machina magni  
6           corporis, Aeacides alter ut esse queas.

HENRICI VALLIAE PRINCIPIS EPITAPHIUM

E5\_031 v.1       Cur tam maturo est Henricus funere pressus ?

2 Ad caelum citius ut raperetur erat.

AD IACOBUM HAMILTONIUM, ABERCORNIAE COMITEM

E5\_032 v.1 Unde ego te laudem ? Numquid de gente vetusta ?  
 2 Haec vix in tota clarior orbe nitet.  
 3 Quin ipse ingenio et propriis virtutibus ipsam  
 4 aequiparas gentem, vincere nemo potest.  
 5 Hanc etenim si vis, si posset vincere virtus,  
 6 vinci a se, et sese vincere sola potest.

AD ANDRAEAM BOIDUM IACOBI REGI A POCULIS

E5\_033 v.1 Gens tibi magna quidem est, quae et neve potentior ulla  
 2 nulla magis dives, nec magis ulla virtus.  
 3 Sed monstras quam gens quod mens tibi propria major ;  
 4 quod gens non potuit, mens tua, Boide, potest.

IN QUENDAM

E5\_034 v.1 A nostra quidam laudatus forte Camena,  
 2 dissimulat, tamquam nil mihi debuerit.

IN GLAUCAM

E5\_035 v.1 Dicit capillos esse quos habet suos,  
 2 verumque dicit. Quos habet namque emerat.

IN GUTTURNIONEM

E5\_036 v.1 Nasum rubentem in quo cometae Bacchici  
 2 clare micantes eminus torquent faces,  
 3 os grande, latamque aurium compaginem,  
 4 gulamque qualem vix velit Philoxenus,  
 5 extentam et alvum tres pedes pinguedine,  
 6 et crura tibiaque habet Gutturnio  
 7 ingentia. Annon est vir ille amplissimus ?  
 8 Non e scripturis quaeris praecepta salutis,  
 9 verum e picturis est tua tota salus.

IN DANAEUM

E5\_038 v.1 Si Phrygibus quae Troja fuit sit Roma Latinis,  
 2 non deerit Danaus, quique Danaeus erit.

AD CAROLUM PRINCIPEM

E5\_039 v.1 Carole, quo quicquam nil usquam celsius orbis  
 2 excepto solo Caesare noster habet,

3 quis ferat anguste quod te fero carmine ? Carmen  
4 angustum augustum nam facis esse meum.

## AD QUINTIAM

E5\_040 v.1 Quid tibi reddat amans, hoc si vis discere, dicam.  
2 Hoc tibi reddit amans, Quintia, te quod amet.

AD ALEXANDER COETONEM,  
COMITEM A DUMFERLIN ET MAGNUM SCOTIAE CANCELLARIUM etc.

E5\_041 v.1 Dulcis amor Musae, doctorum fama virorum,  
2 pacis honos, patriae delictumque tuae es.  
3 Publica privatis praeponis commoda rebus,  
4 elatosque domas, innocuosque levas,  
5 virtutum ut terras habitet si quando caterva,  
6 Coetonis in 'κοιτη' tunc recubare velit.

## AD EUNDEM, ALITER

E5\_042 v.1 Si quascumque domus habitet rarissima virtus,  
2 qui dabis huic 'κοιτην' undique, Coeton, eris.

## IN AVARUM

E5\_043 v.1 Dic, nam scire velim, cur tu dicaris avarus ?  
2 Tu quod aves aurum sic an, avare, vocas ?

## DE UXORE

E5\_044 v.1 Nil curo hanc loquitur quae Graece, quaeque Latine,  
2 cui sermo Gallus, sermo sit Italicus.  
3 Uni non amo tot linguas. Mihi namque videtur  
4 lingua quod uxori sit vel una nimis.

## IN TOBACCONISTAM

E5\_045 v.1 Pulvis et umbra sumus, dicebat Horatius olim.  
2 At tu nunc dicis, "Fumus et ignis ego."

## IN VIRRONIUM

E5\_046 v.1 Qui bibat ex vitro tecum Virronius uno ?  
2 Non sinit ex uno fundere vina cado.  
3 Vis dicam, cur hoc faciat Virronius iste ?  
4 Nempe tibi mixtum dat, bibit ipse merum.

## AD POETAS VETERES

E5\_047 v.1 Moyses Musa potest dici, montanus Aaron  
 2 vel mons, Hebraeis si modo danda fides.  
 3 Huc igitur, vates, et furta agnoscite vestra,  
 4 fabellis tegitis qui sacra dicta Dei.  
 5 Hunc vobis Pindum scripturae pagina sanctae  
 6 praebuit, ast illum praebuit Uranie.

## AD GAVINUM FRATREM

E5\_048 v.1 Frater avi proavique tui quod episcopus ambo,  
 2 nominibus pares, ambo Gavinus erant.  
 3 Cur doctus non es, cur sum nec egove Gavinus ?  
 4 Forsitan et nostrum praesul uterque foret.

## AD ZOILUM

E5\_049 v.1 Laedis et laceras bonos poetas,  
 2 et tollis stolidus malos cachinnos.  
 3 Si te prendero, Zoile, tacebis.

## DE FURIBUS

E5\_050 v.1 Furibus abscindi male quis persuaserit aures ?  
 2 Haud ista fures parte nocere solent.  
 3 Nam quid committunt ? Nil horum surripit auris :  
 4 si quid vis furi scindere, scinde manus.

## AD CORNUTULUM

E5\_051 v.1 Esse Jovi similem te vis, Cornutule, verum est.  
 2 Huic dedit Euripe cornua, sponsa tibi.

## IN OLIPHUM

E5\_052 v.1 Dorso, nec premitur, gestat quam vendidit arcem  
 2 Oliphus. Annon est Oliphus hic elephas ?

## AD CURIONEM

E5\_053 v.1 Esse oneri servos queritur male Curio. Servos  
 2 nempe suos dorso gestitat ipse suo.

## AVIAE SVAE IONETAE MOURAE EPITAPHIUM

E5\_054 v.1 Ter nupta, haeredes agris tribus una reliqui,  
 2 Nevarco, Barro, Balduniaequae domo.

3 Moura Rovallandes equitissae filia Bojdae,  
 4 Quam Bojdaea domus progeneravit, eram.  
 5 Cum feci haeredes heroo sanguine cretos,  
 6 haeres sum regni postea facta Dei

IN REVERENDUM QUENDAM NOMINE MAGISTELLUM

E5\_055 v.1 Belle habet hunc saltem reverendi nomine dici,  
 2 nam reverendi in se nil nisi nomen habet.  
 3 At si forte suis nomen vult reddere rebus,  
 4 irreverendus erit qui reverendus erat.

IN BASSUM CAUPONEM

E5\_056 v.1 Basse, bibis vappam, validissima Caecuba vendis.  
 2 Hoc bibere est aliis, vendere, Basse, tibi.

AD D. PHILIPPUM MONAE EPISCOPUM

E5\_057 v.1 Est regnis Mona parva tribus ceu immobile centrum.  
 2 Hinc Angli, hinc circum Scoti et Ierna jacent.  
 3 Hoc tu cum sedeas centro, dignissime praesul,  
 4 suspiciant titulos haec tria regna tuos.

AD IOANNEM DE-MIRANDUM THALASSOCRITAM RUPELLANUM etc.

E5\_058 v.1 Quanta tibi gravitas, tibi quanta peritia rerum,  
 2 quam firmum ingenium iudiciumque simul !  
 3 Concipere haudquaquam, nedum tibi dicere novi,  
 4 supra conceptus sunt tua dona meos.  
 5 Quin De - Mirandi sint demiranda necesse est.  
 6 Miraclum saeculi sicne eris ergo tui ?

AD HENRICUM REGINALDUM DE BATHSUA FILIA SUA DOCTISSIMA

E5\_059 v.1 Tam Bathsua facit versus, Reginalde, disertos  
 2 illatos, ut decimam crediderim esse deam.  
 3 Quam te felicem felici hoc prole putarim,  
 4 non nisi dii soleant cum generare deas !

AD QUENDAM

E5\_060 v.1 Quod multos habeas libros, vis doctus haberi.  
 2 Sic etiam est doctus bibliopola, sapis ?

CORNUTI HOROSCOPUS

E5\_061 v.1 Cor Virgo, Cancerque caput, vel denique Taurus  
 2 aut Aries frontem, vel Capricornus habet.

## IN DAVIDEM ORIGANUM ASTROLOGUM

E5\_062 v.1 Hunc ego non miror stellarum noscere causas,  
 2 et posse aethereas enumerare domos :  
 3 scilicet ex stellis ipse est, nec denique refert  
 4 sive illum Origanum dicis an Erigonem.

## IN GRETZERUM ET BARONIUM

E5\_063 v.1 Grunnit Gretzrus, barrit Baronus : <fortasse> est hic  
 2 magnum animal, suboles iste Jesuita suis.

## AD FULCONEM GRAVELUM EQUITEM IACOBI A SECRETIORE CONSILIO etc.

E5\_064 v.1 Gravele, Aonidum decus immortale sororum,  
 2 quam bene cognomen, quam bene nomen habes.  
 3 Dicere Gravelus, placidum quod gratia velum,  
 4 quo super astra voles, det tibi quando velis.  
 5 Es Fulco, caeli namque Atlas fulcit ut astra,  
 6 Astraeam patrii fulcis et ipse soli.

## DE SEIPSO, AD DIVITEM AVARUM

E5\_065 v.1 Ne quaeras quis sim ? Sed quid sim quaere. Sed, inquis,  
 2 "Pauper es." Et quid tu ? Dico tibi, puer es.  
 3 Sum quod ego non esse potes, licet omnia vendas.  
 4 Tu quod es, e populo quilibet esse potest.

## CONSTANTIA FOEMINAE

E5\_066 v.1 Femina, concedo, est constans. Nam femina sola est  
 2 constans in inconstantia.

## AD CORNUTULUM

E5\_067 v.1 Dic cujus generis gnati, Cornutele, sintne,  
 2 masculei, neutri, femineine tui ?  
 3 Masculei non sunt, nam vix bene masculus ipse es.  
 4 Non sunt feminei, femina nam nec eris.  
 5 Esse autem neutri nequeunt. Quid denique restat ?  
 6 Ut sunt communis vel dubii generis.

## IN EUNDEM

E5\_068 v.1 Sic es Cornutus, vix ut tibi dicere possim  
 2 sint crines, an sint cornua plura tibi.

## CANIS VENATICUS

E5\_069 v.1 Me melius nemo leporem capit alter, et hoc est.  
2 Cum lepus in lance est, nemo capit melius.

## IN EBRIOSUM

E5\_070 v.1 Te quem nunc adeo delectat adire tabernam,  
2 tandem ad Tiburnum forsitan et ire potes.

## AD MATHAEUM CRAFURDUM

E5\_071 v.1 Quod, Crafurde, tui socius <nunc> quando cubilis  
2 jam valet et vivit, sit memor atque tui.  
3 Hi tibi testentur versus, testentur et in te  
4 Pallada cum Musis conduplicasse manus.

## IN INCONSTANTEM

E5\_072 v.1 Hispano similis pars est, pars altera Gallo.  
2 Te mihi dic unum quis putet esse virum ?

## AD RUFUM

E5\_073 v.1 Ut doctus sic dignus homo vis, Rufe, videri.  
2 Sed qui doctus homo est, jam prope nullus homo est.

## DE MAGNA BRITANNIA, AD IACOBUM REGEM

E5\_074 v.1 Ex Fortunatis cur una haec insula dici  
2 non debet felix insula cum fuerit ?  
3 Albion est, fateor, sed et Olbion illa vocetur.  
4 Felicis felix principis imperium est.

AD ROBERTUM CAREIUM EQUITEM  
CAROLO PRINCIPI AB INTERIORIBUS CUBICULIS etc.

E5\_075 v.1 Fortibus atque bonis fortesque bonique creantur,  
2 nec Jovis imbellem procreat ales avem.  
3 Nec, Careie, tibi si summa modestia stirpem  
4 dissimulare velit, dissimulare potest.  
5 Nam mores, nam mens regalibus inclyta donis,  
6 stant contra, et dicunt regis hic est animus.

## IN OLOSERICUM

E5\_076 v.1 Ut lunae similis fias, Oloserice, mutas  
2 unoquoque tua haec serica mense, refers.  
3 Es lunae similis, fateor, vis noscere quare ?

4 Non quod sic mutes serica, sed cerebrum.

IN TOBACCONISTAM

E5\_077 v.1 Nil nisi quod sacco est immissum emittere possis :  
2 de te fumoso quid nisi fumus erit ?

AD IOANNEM NICOLAUM MEDICUM ET THEOLOGUM

E5\_078 v.1 Interpres Nicolae Dei doctissime verbi,  
2 et pariter medici lux rediviva chori,  
3 euge, novis semper titulis, vulgique per ora  
4 sic volites, sic te fama per astra ferat.  
5 Corpora sunt medicis curae solummodo, sed tu  
6 ut mentis, sic et corporis es medicus.

AD THAUMANTIAM

E5\_079 v.1 Quid refert quantum pingas, Thaumantia, frontem ?  
2 Nam quae sis nasus praedicat iste tuus.  
3 Tu poteris ficto formam variare colore,  
4 at nimium nasum non variare potes.

IN NANUM

E5\_080 v.1 Quo brevior, terrae est propior. Cum decidet ergo,  
2 esse brevem prodest, vix habet unde cadat.

IN CATUM

E5\_081 v.1 Unum Catus habet vitium, vis noscere quod sit ?  
2 Hoc est, omnino quod nihil ille valet.

DE AMORE

E5\_082 v.1 Quem non vincit Amor ? Aut quem non vincere gestit ?  
2 Non tantum hic homines, vicit at ille deos.  
3 Armatae haud poterant Mavortem vincere turmae,  
4 illum sed potuit vincere nuda Venus.  
5 Ipse ipsum Alcidem vel aperto vincere bello  
6 Nessus non potuit, Deianira potest.

AD IACOBUM CREITTONEM SANCIARIAE DOMINUM etc.

E5\_083 v.1 Vir bonus est si res sic rara, ut nesciat esse,  
2 vir melior quam tunc rarius esse solet ?  
3 Omne autem rarum carum, sed rarius ipse es,  
4 o igitur, Creitton, quam mihi carus eris !

## ALIUD AD EUNDEM

E5\_084 v.1 Sic bonus es, sic es placitus, sic gratus amicis,  
2 ut dubium, Creitton carior an fueris.

## CONIUGIUM TRIPLEX

E5\_085 v.1 Dives, anus, juvenisque tribus nupsere maritis,  
2 haec opus, haec ob opem, tertia propter opes.

## AD THOMAM CARUM A ZAIR

E5\_086 v.1 Dimidius sum, Care, tui Dumbarus, at ipse es  
2 totus (quod plus est) tu mihi, Care, meus.  
3 Sed quoque dimidius ne sim tibi, dura repugnat  
4 littera, mi Carus tu, tibi Barus ego.  
5 Ergo in amore tibi ut sim par, hunc denique muto :  
6 Dum - Carus Caro sic tibi semper ero.

## AD PONTICUM

E5\_087 v.1 Terque quaterque tibi sis salvus, Pontice, dixi.  
2 Nil ais, et non vis. Pontice, dispereas.

## EXPOSTULATIO CUM BARONIO, BAR-ON-I-OS : I-OAN-NES DUN-BAR

E5\_088 v.1 Ergone tu nostri finem cognominis audes,  
2 nominis et primum sumere gramma mei ?  
3 I <nunc>, redde meum, -bar nostrum redde, Bar-oni,  
4 atque ita tu quid eris dic, nisi verus 'onos'.

## AD D. COLUMBERIUM THEOLOGUM RUPELLENSEM

E5\_089 v.1 Doctrina an fuerit tibi vel facundia major,  
2 docte Columberi, res dubitanda mihi.  
3 Alter es aurisono nam tu Chrysostomos in ore,  
4 Socratis et genium cognitione sapis.  
5 Doctrinae tamen illa tuae facundia cedat.  
6 Mirandum haec populo te facit, illa polo.

## AD BIBLIOPOLAM

E5\_090 v.1 Ut bene me vendas tantum tibi nolo placere,  
2 unica libertas nam mea cara mihi est :  
3 ut mihi sed placeas, placide tibi consulo, vendas  
4 non me, sed librum, bibliopola, meum.

## AD EUNDEM

E5\_091 v.1 Pauli hos meos ad coemeterium libros  
2 te ferre prorsus nolo. Non sunt mortui.

## DE MALO POETA

E5\_092 v.1 Nemo adeo malus est, rudis, indoctusve poeta,  
2 cui sua non nimium Musa placere solet,  
3 Aut cui non sordent aliorum carmina, quamvis  
4 sint ea Phoebeis anteferenda modis.  
5 Corvo sordet olor nimirum, bosque supinus  
6 ut vitulos, versus sic amat ille suos.

## AD CAROLUM PRINCIPEM

E5\_093 v.1 Carole, semideum soboles, spes magna parentum,  
2 cui vix in laudes totus Apollo sat est,  
3 oro, licet modicas, nostras ne temne Camenas.  
4 Saepe juvant magnos munera parva deos.

## AD FREDERICUM PRINCIPEM PALATINUM RHENI etc.

E5\_094 v.1 Illa tuae decora alta domus, praeclaraque regum  
2 nomina quis numeret quae, Frederice, tibi ?  
3 Nimirum regale tibi longo ordine stemma  
4 Magnus Gallorum Carolus ipse dedit.  
5 Ut tibi dat virtus, olli ut succedere sanguis,  
6 succedat meritis sors quoque et ipsa tuis.

## DE MULIERE

E5\_095 v.1 Nulla bona est mulier, quod si bona possit haberi,  
2 hoc fieri dicam qua ratione potest.  
3 Est vae homini mulier, quod si tu vertis in "eo" :  
4 quae fuerat "mulier", sic tibi erit "melior".

## AD AVARUM

E5\_096 v.1 Laudari tantum vis quando est mortuus, inquis,  
2 quam cupio laudes dicere, avare, tuas !

## IN VULGUS NOBILIUM

E5\_097 v.1 Quod liberales raro jam sint nobiles  
2 non miror. Horum namque vel paucissimi  
3 jam sunt magistri liberalium artium.

## ALITER

E5\_098 v.1 Didicisse septem liberales plurimi  
2 artes professi, sed bene unam vix sciunt.

## IN MOECHUM

E5\_099 1 Moechus ait, tantum res est puerilis habere  
2 uxorem alterius, quodque ea culpa levis.  
3 Si puerum nasci puerile est, nescio. Novi  
4 sed non est facit hoc qui puerile puer.

## IN SCRIBAM GLORIOSUM

E5\_100 v.1 Qui nuper putrem solitus signare papyrum,  
2 pallia Getulo murice tincta gerit.  
3 Coum lana tegit sura, femoralia Seres,  
4 et dederant tunicae mollia fila suae.  
5 Cetera quid referam ? Solitus nam ut dicere Bias,  
6 "Mecum quae mea sunt omnia porto" potest.

## EPIGRAMMATON CENTURIA VI

## AD CAROLUM PRINCIPEM

E6\_01 v.1 Dedico vota Deo, tibi, Carole, dedico versus.  
2 Det Deus ut Musae sit tibi cura meae.

## AD EUNDEM

E6\_02 v.1 Contendunt pietas, probitas, sapientia, virtus  
2 in te quae primum debet habere locum.  
3 Haec clarum, facit illa Deo te, Carole, carum,  
4 te facit ista probum, te facit ista pium.  
5 Macte age ! Quae victrix ? Nulla : a te scilicet illa  
6 quae vicit, dono vincitur ipsa suo.

## AD LECTOREM

E6\_03 v.1 Nec lege quae jubeo, nec quae te jusserit alter,  
2 sed lege quae genio sunt mage grata tuo.

## IN LEONEM ejus NOMINIS PONTIFICEM

E6\_04 v.1 Non ego quod dici voluisti bestia miror,  
2 miror quod dici vis Leo, cum lupo es.

## AD CYCLICUM

E6\_05 v.1 Jucundus, probus, innocens, amicus :  
2 lingua doctus utraque, Cyclice, unum est,  
3 sed magnum vitium quod es poeta.

## IN TOBACCUM

E6\_06 v.1 Quod fumo facias potos, an dicere petun ?  
2 Quin ego te potum rectius ergo vocem.  
3 Do-Bacco potum dicis, quando ebrius ille est.  
4 Sic fumus fumo pellitur iste tuo.

## IN AVARUM DIVITEM

E6\_07 v.1 Quamvis expresse nobis sacra pagina dicat  
2 quod melius semper sit dare quam capere,  
3 quod capere est melius dives contendit avarus,  
4 nec tantum ille capit, sed capit atque rapit.  
5 At dare si non vult, capere et vult omnia, tandem  
6 quin laqueum collo sic capiatque suo.

## DE CONIUGIO

E6\_08 v.1 Non amo conjugium hoc ubi non communia utrique  
2 sunt bona : nam si vir dixerit "haec mea sunt,"  
3 uxor et "haec mea sunt," poterunt <tum> dicere forsitan,  
4 "Et puer hic meus est, illa puella mea."

## DE TOBACCO

E6\_09 v.1 Quod vino madidis detur tabacco, vocare  
2 do-Baccho cur non rectius ille solet ?

## AD ANDREAM AEDIUM PHILOSOPHUM

E6\_010 v.1 Seu sis 'Aidios', seu denique diceres 'Aidos',  
2 conveniet meritis nomen utrumque tuis.  
3 Hinc honor est, illinc post omnia saecula vives.  
4 Ambo cape, aeternus sic tibi crescat honos.

## AVARI INVITATIO

E6\_011 v.1 Me solum invitat, quoties invitat avarus.  
 2 Invitat quoties solus et ipse domi est.  
 3 At quoties multos ad cenam invitat amicos,  
 4 numquam ego sum tantas jussus adire dapes.  
 5 Cur facit hoc, quaeris ? Quia sum bene cognitus illi.  
 6 Malim ego sed cenae cognitus esse suae.

## AD PATRICIUM HANNAEUM

E6\_012 v.1 Quisnam, Hannae, tibi veteri pro stemmate certet,  
 2 gente a Romulidum gens tua quando venit ?  
 3 Hannaei emicuere duo, vatesque sophusque.  
 4 His etiam Hannaeus tertius esse potes.

## AD ZOILUM

E6\_013 v.1 Virtutem non taxo tuam, vis noscere quaere ?  
 2 Est quoniam virtus est tibi nulla, sapis ?

## AD OBTRACTATOREM

E6\_014 v.1 Cur, obtractator, mea sic epigrammata torques ?  
 2 Cur laceras vultu singula ridiculo ?  
 3 Hic male stat versus, minus est vox illa Latina,  
 4 hoc ais, est durum, vel nimis improprium.  
 5 Ne vel et unus apex te praeterit : omnia carpis.  
 6 Scilicet haud nosti quae bona quaeve mala.

## IN GLORIOSUM, DE FAMA SUA

E6\_015 v.1 Quod facile haec tua fama queat super astra volare  
 2 credo, nam levis est, nec grave pondus habet.

## AD GAURUM

E6\_016 v.1 Qua sic incedis, qua pes tibi pelle superbit,  
 2 olim erat haec pellis foetida, Gaure, bovis.  
 3 Miror ego qualis feriat tibi pectora fastus,  
 4 cum me sic clauso vertice praetereas.  
 5 Quin videas quid agas, veterem nec temne sodalem.  
 6 In non est alia bos nisi pelle sua.

## AD ARCHIBALDUM FRATREM

E6\_017 v.1 Hic mundus quam sit nosti, Archibalde, malignus,  
 2 pro se quisque facit singula, nemo suis.  
 3 Numquam erat, aut nunc est fratrum quoque gratia rara.

4 Gratia non rara est sed tua cara mihi.

AD MULIEREM QUANDAM

E6\_018 v.1 Vendere is non vis carnem, tunc claude macellum,  
2 o mulier. Mammas scilicet abde tuas.

HENRICI MAGNI GALLIARUM REGIS EPITAPHIUM, PROSOPOPOEA

E6\_019 v.1 Exiguo natus regno, regna ampla reliqui,  
2 sed si vixissem, quae magis ampla foret.  
3 Insidiae vetuere minas. Nam Martius ensis  
4 non potuit, non me tollere aperta manus.  
5 Visa ut ad extremum perducta potentia culmen,  
6 tum sensi insidias, insidiose, tuas.

AD ANNAM REGINAM

E6\_020 v.1 Progenies generosa Jovis, sis regia conjux  
2 Anna aliis. Regi es sed "Διός", Anna, tuo.

AD GUALTERUM STUARTUM REGI IACOBO AB INTERIORI CUBICULO etc.

E6\_021 v.1 Nobilibus prognate viris, cui numine fausto  
2 virtuti eximiae splendida fama nitet,  
3 macte, viam ingrederis, video, per quam itur ad astra.  
4 Succedant meritis o mea vota, tuis !  
5 Stevarti ut proprium primi est pro nomine nomen,  
6 illius in sortem sic tibi et omen eat.

DE POETA, AD ORATOREM

E6\_022 v.1 Dicis poetam furere. Concedo, furit.  
2 Nempe in prosodia, tu at in prosa furis.

AD LIVIDUM

E6\_023 v.1 Disticha quod mihi sint epigrammata, Livide, rides,  
2 et dicis nimium quod puerile forent.  
3 Disticha sunt, fateor. Non sunt tamen illa Catonis.  
4 Ne timeas, mores non ego carpo tuos.

AD GUILIELMUM ALEXANDRUM A MENSTRY, EQUITEM etc.

E6\_024 v.1 Tres quondam tragicos jactaret Graecia vates,  
2 Aeschinem, Sophocleum, misogynemque suum.  
3 Sed quamvis unum jam Magna Britannia vatem  
4 jactet Alexandrum te, tribus hisce parem.  
5 Sed nec et esse parem tantum, sed et esse priorem

6 te, si non annis, dixerit esse animis.

IN AULICUM

E6\_025 v.1 Invidia nemo sine nascitur, Aulice, dicis.  
2 Invidiam mavis quam miserere mei.

AD IOANNEM MOYLUM ARMIGERUM

E6\_026 v.1 Desinat esse Maro qui tam sese esse Marorem  
2 jactatet, et nomen nesciat ille suum.  
3 Vel Maro si vult esse Maro, tantum ille Latinus  
4 sit Maro. Nunc Anglus qui Maro, Moylus eris.

IN CLAUDUM

E6\_027 v.1 Rex licet ad claudum mittat, vix ille veniret.  
2 Qui veniat ? Pedibus nam caret ille suis.

AD ROBERTUM FALCNARUM A BELLANDRO

E6\_028 v.1 Falcnare, delictum Bellonae et fulgor Enyus,  
2 et triplex circa qui grave pectus habes,  
3 cum robor, falcemque sonent simul "ανδρ'" et "Αρήα",  
4 haec tua quae tibi sunt nomina magna tibi.  
5 Bellacem te nemo neget, sed gloria summa est  
6 haec tua : cum miles sis, pia corda geras.

AD CONVIVAM

E6\_029 v.1 Affert ad mensam nobis ancilla placentam,  
2 in se quae cervi pingua crura tenet.  
3 Tu, conviva, mihi cur affert conjice. Tantum  
4 affert ad mensam rursus ut inde ferat.

IOANNIS DUGLASII POETAE EPITAPHIUM

E6\_030 v.1 Qui primus nostris animos in carmina Musis  
2 addidit, et sacras tangere jussit aquas,  
3 gloria Pieridum jacet hac Duglasius urna,  
4 Et cor, et nostrae corpus amicitiae.  
5 Hos ego cui versus et debita justa repono,  
6 aeterna officii ceu monumenta mei.

IN GLAUCAM

E6\_031 v.1 Glauca, tuos dulci crines dum spargis odore,  
2 hoc non immerito, tu mihi crede, facis.  
3 Non illi sunt Glauca, tui, tu calva ; sed empti,

4 suspensae aut crines, aut meretricis erant.

DE VITA CONIUGALI

E6\_032 v.1 De conjugatis multa multi disputant,  
2 pluresque plura sentiunt.  
3 Mihi ad videtur optimum connubium  
4 ubi maritus imperat.

IN BIBONEM

E6\_033 v.1 Numquam te potasse foras tu dicis, et hoc est,  
2 non potas quoties te, Bibo, nemo vocat.

IN MOECHUM

E6\_034 v.1 Conjuge cum socii cubat, et communia dicit,  
2 quod sint amicorum omnia.

AD CACOZELUM

E6\_035 v.1 Quis, rogo, tam stultus, quis tamque erit ille supinus,  
2 mystam qui possit te, Cacozele, pati ?  
3 Tene aliquis crassa clamantem voce cathedra  
4 sustinet, aut quae non scis, Cacozele, loqui ?  
5 Si toga, si decimae, faciunt si munera mystam,  
6 ut tu, sic mystes mulio et esse potest.

IN QUENDAM

E6\_036 v.1 Doctus es, at poteris tamen hoc fortasse negare.  
2 Sis ergo indoctus, nonne negare potes ?

AD MARIANUM

E6\_037 v.1 Si tibi dona darem, de divite ditior esses.  
2 Nil tibi do, dives nam, Mariane, sat es.

IN QUENDAM

E6\_038 v.1 Doctus, nobilis es, disertulusque.  
2 Esto nobiliorque doctiorque  
3 et disertior, at quid est hoc ad me ?

GAVINI DUNBARI, ARCHIBALDI AVI SUI FRATRIS, EPITAPHIUM

E6\_039 v.1 Praeceptor, praesulque, et cancellarius idem,  
2 Regis, Glasgowaee, qui patriaeque mea

3 auxi, alvi, juvi, sortem, pia pectora, regnum,  
 4 ingenio, sacris, consilioque bono.  
 5 Tutus, amans, orans, inopes doctus(que) Deumque.  
 6 Lustra decem vixi, florui, et interii.

## ACADEMIA ABERDONIENSIS A PROAVI SUI FRATRE GAVINO EPISCOPO IBIDEM CONDITA

E6\_040 v.1 Jam quod Aberdoniae doctis academia mystis  
 2 floreat, et celsum tollat in astra caput,  
 3 ut labor ille sui, nunc sit laus ista Gavini.  
 4 Hic posuit tantae prima elementa scholae.

## EIVSDEM GAVINI PONS DONAE

E6\_041 v.1 Circa Aberdoniam tumidis Dona labitur undis,  
 2 turgidus, et nullis trajiciendus equis.  
 3 Huic pontem hic praesul fecit cum condere, numquid  
 4 ostendit verum se fore pontificem ?

## ALIUD

E6\_042 v.1 Pons Caii quondam, sed nunc pons ille Gavini,  
 2 sic celebrer fama tempus in omne sua.

## AD IACOBUM ADAMSONUM THEOLOGUM A PENNIGAM

E6\_043 v.1 Oblitum me forte tui, sacra munera mentis,  
 2 Adamsone, tuae posse silere putes ?  
 3 Doctus est et prudens, Christifidusque minister.  
 4 Hoc ego si sileam, fama silere nequit.

## ROBERTI ROLLICI THEOLOGI EDENBURGENSI MORS

E6\_044 v.1 Rollici aethereas emigratura per auras  
 2 cum foret ad summum mens pia, pura, polum :  
 3 "Mens mea, perfer adhuc te caeco hoc carcere claudi.  
 4 Exhibis jam jam libera, carpe gradum."  
 5 Dixit, et erumpens tota compage soluta  
 6 corporis exanimi, mox videt ora Dei.

## NUPTAE NOSTRI SAECULI

E6\_045 v.1 Propter opem quondam est homini data femina. Nunc est  
 2 non data propter opem, sed data propter opes.  
 3 Propter opes, vel propter opus jam ducitur uxor.  
 4 Pulchra ut propter opus, pessima propter opes.

## AD HOMERUM

E6\_046 v.1 Olim "εὐκνήμιδας" qui dixisti semper "Ἀχάϊους",  
2 Anglos jam tales dicere jure potes.

## IN MAEVIUM

E6\_047 v.1 Non mutat anno vestem in integro suam.  
2 Si causa quae sit quaeritis,  
3 est vestis una scilicet solummodo  
4 et singularis Maevio.

## DE SEIPSO

E6\_048 v.1 Quid mihi jam prodest quamvis ab utroque parente  
2 stirpibus innumeris nobile stemma traho ?  
3 Et pater et mater claro mihi sanguine creti,  
4 sic horum matres, sic etiamque patres.  
5 Sic etiam affines demum et genus omne meorum,  
6 vates interea nil nisi pauper ego.

## AD DOMINAM ANNAM GORGEAM etc.

E6\_049 v.1 Est tibi rara fides, pietas, prudentia, candor,  
2 et forma, et formae gratia juncta suae.  
3 In te una virtus omnis sic una virescit,  
4 ut dubium sitne haec, sitne vel illa prior.

## AD EANDEM

E6\_050 v.1 Mens tua sitne manus melior vix dicere possum.  
2 Mens tua Multiscia, est medicina manus.

## AD RICHARDUM CARUM AB ANTONYE

E6\_051 v.1 Seu placet historicos imitare, aut arte poetas,  
2 aut legum obscuros enucleare locos,  
3 omnibus excellis. Dubito sin Livius alter,  
4 sin Maro, sin alter Papianus eris.  
5 Sed cum et multiplici lingua praecellis, et alter  
6 sic etiam carus Scaliger esse potes.

## AD EUNDEM

E6\_052 v.1 Non miror si nomen habes, Care inclyte, cari.  
2 Rara enim quae sunt omnia cara vocant.

## AD W. OGSTONN, ALEXANDRI VODNEI PYLADEM

E6\_053 v.1 Esse anagramma tuo cum te vult 'Oudeni gnoston',  
 2 ut Pylades socio dicitur esse suo,  
 3 Quam bene sic vivis ! Nam qui non cognitus ulli,  
 4 ille latet. Latitat qui bene, vivit item.

## IN QUENDAM CUJUS NOMINIS ANAGRAMMA EST VILIS NOTUS

E6\_054 v.1 Non opus est ponam chartis tibi nomen apertis,  
 2 nimirum es vilis notus ubique, capis ?

## AD FANNIAM

E6\_055 v.1 Empta tibi est facies, empti sunt, Fannia, dentes.  
 2 Emistin' linguam ? Non. Satis hujus habes.

## AD GEORGIUM SIBALDUM

E6\_056 v.1 Si velis Graece, seu te sermone Latino,  
 2 aut tua Judaeis promere sensa sonis,  
 3 pandere res sacras, magnive Machaonis artem,  
 4 aut vetera e priscis prodere gesta libris,  
 5 nemo est cui cedas. Potius quam cesseris ulli,  
 6 cedant cuncta uni, docte Sibalde, tibi.

## THESEI ET PERITHOI AMICITIA

E6\_057 v.1 Ille sui Theseus nigrum properavit ad Orcum,  
 2 Pirithoi fidam propter amicitiam,  
 3 prisca aetas unum tantum nisi Thesea vidit.  
 4 Nostra vident multos saecula Pirithoos.

## AD IACOBUM REGEM

E6\_058 v.1 Petri alios, alios Pauli delectat imago.  
 2 Prae cunctis unam rex amo, magne, tuam.

AD ROBERTUM CARUM AB ANCRUM, EQUITEM,  
CAROLO PRINCIPI A CUBICULIS INTERIORIBUS etc.

E6\_059 v.1 Si regem sit amare suum, si regis honorem,  
 2 si patriam et prolem regis amare sui,  
 3 maxima sit virtus, virtus tua maxima certe est.  
 4 Maxima si sit laus, maxima laus et erit.  
 5 Maxima sed virtus illa est, laus maxima et illa.  
 6 Concludat laudes Lividus ipse tuas.

## AD EUNDEM

E6\_060 v.1 In te non res est a nomine, nomen at a re.  
 2 Namque rei nomen das bene, Care, suum.  
 3 Non ideo est carus quod sic sis nomine, Cari  
 4 sed quod re carus nobile nomen habes.

## DE FRANCISCO DRAKO

E6\_061 v.1 Si custodisse quae ad nos tulit aurea posset  
 2 Hesperidum Drakus, alter et esse draco.

## HENRICI MAGNI REGIS GALLIARUM MORS, PROSOPOPOEA

E6\_062 v.1 Quam nostro expuleram gens Loyolitica regno  
 2 cum fuit assensu post revocata meo,  
 3 cor inimicitiam conata est flectere frustra  
 4 saepe meam, et nimium rursus habere studet.  
 5 Vivi non potuit : petiit cor ergo perempti,  
 6 et jam quod toties saeva petivit habet.

## EIUSDEM, IN IESUITAS FLEXIAE, QUIBUS REGIS COR AD SEPELIENDUM DATUM EST

E6\_063 v.1 Flexia, jam quamvis tota quod mente petisti  
 2 cor nostrum in te sit, flectere non poteris.  
 3 Non habuisti etenim vivum, sed lumine cassum  
 4 tu licet illud habes, non tamen illud habes.

## AD GAMALIELEM ET IOHANNEM DE-MIRANDUM, FRATRES

E6\_064 v.1 Macte animi, juvenes Musis melioribus aucti,  
 2 curriteque, ut facitis, nobile patris iter.  
 3 Illum sancta Themis, Phoebo sacraeque sorores,  
 4 cum pietate fides, puraque vita juvant.  
 5 Artibus his summum meruit sibi culmen honorum.  
 6 His vobis patrius sit repetendus honos.

## AD PLOUTAM VIDUAM

E6\_065 v.1 Hunc quem divitiae faciunt tibi, Plouta, maritum,  
 2 esse umquam captum credis amore tui ?  
 3 Aurum amat ille tuum, nummos et praedia, non te.  
 4 Si dives fueris, cuilibet uxor eris.

## AD PETRUM AURATUM, ALIAS GOLDMAN, DOCTOREM MEDICINAE

E6\_066 v.1 Aurea jam tandem redierunt saecula terris.  
 2 Aurea non alios saecula dedere viros.

## AD THOMAM DEMPSTERUM A MURESK etc.

E6\_067 v.1 Historicus, vates, orator, ut omnibus unus  
 2 Dempsterus est, sic est omnibus eximius.  
 3 Livius est tantum nisi Livius, et Maro tantum  
 4 est Maro, sic Cicero nil quoque quam Cicero.  
 5 Dempsterus at tantum non Dempsterus est, sed in uno  
 6 unus hic est Cicero, Livius, atque Maro.

## AD LECTOREM CRITICUM

E6\_068 v.1 Haec mea quam dicis mala sunt epigrammata, quid ni ?  
 2 Tu bonus. In libris non eris ergo meis.

## AD THOMAM DICCIUM

E6\_069 v.1 Pastor es et pictor, Dicci, doctusque poeta.  
 2 Sic est Virgilius pastor, arator, eques.  
 3 Vati cedat eques, et arator cedat Apelli.  
 4 Pastor pastori cedat et ille tibi.  
 5 Ille dedit brutis ovibus nisi pabula, sed tu  
 6 Christi pascis oves. Ergone major eris ?

## AD IOANNEM CAMERONUM

E6\_070 v.1 Os licet ille dei fuerit Theophrastus, at illum  
 2 esse peregrinum balba notavit anus.  
 3 Gallica Calliope vix te, Camerone, notaret,  
 4 quin sic ipsorum viceris ora deum.

## IN CERDUM MERCATOREM

E6\_071 v.1 Cum sint a pretio pretiosa, atque omnia, Cerde,  
 2 pro pretio vendas, es pretiosus homo.

AD IOANNEM GORDONUM  
SARISBURIAE DECANUM, HEBRAICE DOCTISSIMUM etc.

E6\_072 v.1 Lingua tibi nato deerat, Gordone, sed Hermes  
 2 ut vidit, linguam tradidit ipse suam.  
 3 Divina haud igitur mirum est te voce profari.  
 4 Non quae lingua tibi, lingua erat illa dei.

## AD AMATOREM

E6\_073 v.1 Alas gestat Amor binas, hac aufugit, illa  
 2 te sequitur. Semper sic cruciaris amans.  
 3 Non redamaris amans, spernens sed amaris amantem.  
 4 Quid facias ? Ne tu tunc ut ameris ames.

## AD THOMAM FARNABIUM

E6\_074 v.1 Nil sine luce liber, sine libro lux quoque nil est.  
 2 Luxque libro vivit, luce liberque viget.  
 3 Nec Seneca aut sine te, sine te nec vivit Aquinas.  
 4 Ambobus per te vita vigorque redit.  
 5 Per quem ergo tanti auctores vivuntque vigentque,  
 6 aeternum hinc, auctor maxime, vive, vige.

## IN FUREM

E6\_075 v.1 Littera Pythagorae furi placet unica : verum est,  
 2 sic etiam furi furca placere potest.

## IN QUENDAM, A SANCHAR

E6\_076 v.1 Uno oculo expressa est sapientia : sicque Cyclopas  
 2 unoculos vatam pagina docta facit.  
 3 Factus erat Sanchar Cyclops. Pars maxima vero  
 4 suspendi potius <est> modo quam sapere. (vers lacuneux)

## LYCAMBIS PALINODIA

E6\_077 v.1 Archilocho quondam fregit promissa Lycambes,  
 2 poenas perfidiae sic dedit ille suae.  
 3 At nunc Archilochus fregit promissa Lycambi,  
 4 num merito poenas det violata fides.  
 5 Carmen iambaeum fuit olim criminis ultor,  
 6 jamne Lycambaeum criminis ultor erit ?

## AD ALEXANDRUM FRATREM

E6\_078 v.1 Quod validus gestas juvenili in corpore robur,  
 2 quaeque etiam in gremio pectora fida tuo,  
 3 fallor, Alexander, facient te hoc nomine dignum,  
 4 aut vatam est tantum fabula vana fides.

## SOCRATES ET PAUPER

E6\_079 v.1 Hoc, Socrates, unum scio quod nihil scio.  
 2 Hoc unum sic habeo, nimirum nihil.

## AD GEORGIUM THOMPSONUM THEOLOGUM

E6\_080 v.1 Si memor es, Thompsone, tuum nec spernis amicum,  
 2 miratur genii qui monumenta tui,  
 3 ille ego sum, tua qui toties his auribus hausi  
 4 e cathedra Hyblaeis verba referta favis.  
 5 Scotus es, at Gallo sic es sermone profatus

6 ut Gallus Gallum te putet esse suum.

DE ANTICHRISTO

E6\_081 v.1 Causam scire velim quare lupo iste vocetur,  
 2 in media quando cornua fronte gerat.  
 3 Cornua nulla lupo, lupo est non denique tantum.  
 4 Verum et monstrosus sic erit ille lupo.

AD HENRICUM CHARTERUM,  
 ACADEMIAE EDINBURGENAE GYMNASIARCHAM

E6\_082 v.1 Chartere, Castalidum custos, siquando voceris,  
 2 cumque sit in cerebro Graecia tota tuo,  
 3 quicquid Arabs, quicquid dixit Judaeus Apella,  
 4 et quicquid servi post docuere Dei,  
 5 quam bene conveniet tantis pro dotibus ut sis  
 6 Edinburgenae gymnasiarcha scholae !

IN SUFFUMUM

E6\_083 v.1 Dulcis Alexandro Suffumus distat odore :  
 2 intus Alexander dictus olere bene,  
 3 quin extra Suffumus olet bene, foetet intus.  
 4 Illum, qui dubitas, junctius olfacias.

IN SOLANIONEM

E6\_084 v.1 In te dum sererem summas, Solanio, laudes.  
 2 Bruma erat, hinc madidis ver quoque venit equis.  
 3 Venit et hinc aestas, autumnus denique venit,  
 4 venit at ex nostro nulla labore seges.  
 5 Nec frigus laesit, pluvia abluit, aut calor ussit  
 6 semina. Proh ! sterili suntne ea jacta solo ?

AD DAVIDEM DROMONDUM

E6\_085 v.1 Qui, Dromonde, tribus dictum de montibus inquit  
 2 esse tuum nomen, fallitur haud dubie.  
 3 Nimirum duplici Parnassi a vertice venit,  
 4 hinc est quod tantus esse poeta soles.

IN PARERGUM

E6\_086 v.1 Non Peripates noster vult esse Parergus.  
 2 Ille magis semper namque sedere cupit.  
 3 Neve etiam Samius : carnes amat, esse nec optat  
 4 Stoicus, et vitium nam putat esse bonum.  
 5 Est igitur quis vult ? Cynicus vult esse Parergus.  
 6 Cur ? Novit caudam rite movere suam.

## AD LECTOREM DE LIBRO SUO

E6\_087 v.1 Nec meus est nimius, seraque coronide longus  
 2 hic liber. Haud Marsi certat Amazonidi.  
 3 Ille decem tantum decies epigrammata claudit,  
 4 ad summum tria quae disticha vix superant.

## DE HENRICO ET CAROLO PRINCIPE

E6\_088 v.1 Occidit Henricus, nostro jam fulget in orbe :  
 2 Carolus o nullas sentiat ille vices !

## CRUMENA AD DOMINUM SUUM

E6\_089 v.1 Cur suspensa ego sim ? Nil sum furata crumena,  
 2 sed tamquam sartor quae data servo mihi.  
 3 Velle mihi auriculas si vis me haec reddere. Nam me  
 4 suspendis quoties, tu nihil accipies.

## AD CLARENTIUM CAMDENUM, DE SUA BRITANNIA

E6\_090 v.1 Omnia dum parvi regna et loca clausuris orbis  
 2 in libro hoc, dubitem quem capis ipse locum.  
 3 Quodque omnem et nullum capias, vix dico, sed illus  
 4 quod capiat nullus te, bene dico, locus.  
 5 Nimirum, te quem magnus nunc orbis et aether  
 6 vix capit, an parvus orbis hic excipiat ?

## ALIUD, AD EUNDEM

E6\_091 v.1 Orbis dum facis ut parvus notescat et orbem  
 2 per magnum ipse facis, tu quoque notus eas.

## IN BRISSONEM

E6\_092 v.1 Dicebat olim magnus ille Vasconum  
 2 poeta nullus quod fuit Britto bonus.  
 3 Dialecto at illum puto locutum hic Attica,  
 4 ut 'glotta' pro 'glossa' solet cum dicier.  
 5 Vere at velimus si loqui, et communiter,  
 6 tum diceremus, nullus est Brisso bonus.

## PURITANUS AD PAPAM

E6\_093 v.1 Carnea cum tibi sit tua victima, cumque cruenta,  
 2 non ego te papem, te voco, papa, popam.

## CASAUBONI MANES, AD IACOBUM REGEM

E6\_094 v.1 Pro donis, rex magne, tuis quae digna rependam ?  
 2 Qui haud potui vivus, mortuus haud potero.  
 3 Me patrio e regno nempe ad tua regna vocasti,  
 4 auctor opum nobis, auctor honoris eras.  
 5 O produxissem nostrum tibi, maxime, pensum  
 6 ut produxisti tu tua pensa mihi !

## IN MARIANUM

E6\_095 v.1 Quare non tibi credo pejeranti,  
 2 testanti et toties polum solumque,  
 3 miraris, Mariana, magna causa est.  
 4 Mendacissimus omnium es virorum.

## IN PICTOREM CHRISTI PROSOPOPOEA

E6\_096 v.1 Stulte, quid affectas toties mihi pingere corpus ?  
 2 Cur toties fuco foedor, inique, tuo ?  
 3 Cernere si me vis, cor altum ad sidera tolle,  
 4 et si vis similem pingere, pinge Deum.

## IN BOMBUM OLOSERICUM

E6\_097 v.1 Si vermes fuerint homines, ut Biblia dicunt,  
 2 tunc mihi tu, Bombus, serica vermibus eris.

## IN EUNDEM, ALITER

E6\_098 v.1 Si vermes cineresque sumus, bombycina vermibus,  
 2 tuque tabaccaeus tunc potes esse cinis.  
 3 Scilicet ut bombyx involvere, flamma tabacchi,  
 4 ignivomoque tuo fumus ab ore fluit.

## IN FOEMINAM, QUOD EI NATURA DEBEATUR SUPREMUS LOCUS

E6\_099 v.1 Natura quando tendant levia omnia sursum,  
 2 sic tibi supremum, femina, sume locum.

## IN MOMUM

E6\_100 v.1 Omnia cum nostri mala sunt tibi carmina libri,  
 2 hic etiam finis sit tibi, Mome, malus.